INSTITUTIONES CRIMINALES.

INSTITUTIONES CRIMINALES

TRIBUS PARTIBUS DISTRIBUTÆ

AUCTORE

FRANCISCO MARIA GASPARRO

J. C. ROMANO

In Almæ Urbis Archigymnasio Primario Juris Civilis Professore, & Priore Aulæ Capitolinæ Collaterali.

Additis Indicibus necessariis.

OPUS POSTHUMUM.

ROMÆ MDCCLVI.

SUPERIORUM PERMISSU.

PROSTANT VENALES

VENETIIS

Apud Simonem Occhi sub Signo Italiæ.

A. M. D. G.

FRANCISCI MARIÆ GASPARRI ELOGIUM.

Franciſcus Maria Gaſparri honeſtis parentibus natus eſt Romæ XVIII. Kal. Febr. Anno MDCLXXIX. Adhuc adoleſcens non vulgaria dedit Indolis, & Ingenii ſpecimina. Duodeviginti annos natus in Archigymnaſio Romano Juriſprudentiæ Cathedram prævio examine eſt aſſecutus. Annibali Card. Albano S. R. E. Camerario, quem in Seminario Romano una cum aliis dignitate conſpicuis Viris Auditorem habuerat, cognoſcendis Cauſis præpoſitus, graviſſima negocia dexteritate, & prudentia ſæpe ſæpius expedivit. A Clemente XI. P. M. Primarius Juris Civilis Anteceſſor in Archigymnaſio ſupramemorato eſt renunciatus; A Benedicto XIII. alterius, mox a Clemente XII. Prioris in Aula Capitolina Collateralis honorificentiſſimum Munus obtinuit. Trigeſimo & ſexto ætatis ſuæ anno Tereſiam Michaelis Joſephi Morei, Viri litterariæ Reipublicæ haud prorſus ignoti, Sororem Germanam duxit Uxorem, ex eaque unum, & alterum Liberos, totidemque reliquit Filias. Deceſſit repentino propemodum apoplexiæ ictu perculſus VIII. Idus Auguſt. Anno MDCCXXXV. ſummo totius Urbis mærore, ipſiuſque Pontificis Summi laudibus illuſtratus. Vir fuit ſublimi ingenio, ſuaviſſimis moribus, grato ſermone, prudentia, pietate omnibus carus, & commendabilis.

Inſti-

Institutiones Civiles, & Canonicas Romæ, ac Venetiis sæpius, nuper Urbini recusas, edidit adhuc Juvenis; Criminales ineditas reliquit. Orationes quinque in Archigymnasio Romano pro temporum diversitate laudabiliter habuit. Epistolarum, quas vere latine scribebat, innumerabilis fuit numerus. De Geographico Marchiæ Anconitanæ Statu Dissertationem prælo dedit doctissimam. Drama unum Pastorale, versusque plurimos musicis adornandos notis, ut erat a Principibus Viris requisitus, conscripsit. Accademiis pluribus, vel etiam exteris dedit nomen. In Arcadum Cætu sæpius, & cum plausu Italica Carmina pronunciavit. Plura eorum Carminum leguntur sparsa, plurima sunt inedita, quæ olim legentur collecta. Auditorum frequentia, & nobilitate inclaruit; Plurесque S. R. E. Card. quin & Philippus Mauritius utriusque Bavariæ Dux inter illos adnumerati sunt. Litterati Homines illum fecerunt maximi, plureſque de eo laudes in eorum operibus legi possunt. Sepultus est ad XII. Apostolos. Virtute vixit. Memoria vivit. Gloria vivet.

IN-

INDEX

Titulorum, & Capitum;

PRIMÆ PARTIS.

INTRODUCTIO. Pag. 1

TITULUS PRIMUS.

Quid sit delictum. 2

TITULUS II.

Quotuplex sit delictum. ibid.

TITULUS III.

De Hæresi, & quid sit. 3

TITULUS IV.

Multiplex hæreticorum divisio traditur.

CAPUT PRIMUM.

De quibusdam, de quibus dubitari potest, an sint Hæretici proprie dicti, nec ne. 5

CAPUT II.

De pœnis Hæreticorum & primo de Excommunicatione ab iis incurrendis. 7

CAPUT III.

De Privatione Beneficiorum Ecclesiasticorum ab Hæreticis incurrenda. 8

CAPUT IV.

De Confiscatione bonorum ab Hæreticis subeunda. 9

CAPUT V.

De quibusdam aliis pœnis, quas hæretici incurrunt. 10

CAPUT VI.

De pœnis corporalibus Hæreticorum. 11

TITULUS V.

De Schismate, & Schismaticis. 13

CAPUT PRIMUM.

De pœnis Schismaticorum. 14

CAPUT II.

An Ordinationes, aliaque gesta a Schismaticis sint valida, & de Ordinatis ab eis. ibid.

TITULUS VI.

De Crimine Apostasiæ. 16

CAPUT PRIMUM.

De Apostata perfidiæ. ibid.

CAPUT II.

De Apostata Irregularitatis. 17

TITULUS VII.

De Simonia. 19

CAPUT PRIMUM.

De Simonia, quæ committitur circa res mere & intrinsece spirituales. 22

CAPUT II.

De Simonia quæ committitur circa Sacros ordines. 23

CAPUT III.

De Simonia, quæ committitur circa Divina Officia, & Prædicationem 24

CAPUT IV.

De Simonia quæ committitur pro suscipiendo habitu Regulari, ejusque pœnis. ibid.

CAPUT V.

De Simonia, quæ committitur circa Ecclesiastica Beneficia. 25

CAPUT VI.

De Pretio Simoniaco. 32

CAPUT VII.

Quinam in crimine Simoniæ accusare possint. 34

CAPUT VIII.

De pœnis Simoniæ. 35

SE-

SECUNDÆ PARTIS.

TITULUS PRIMUS.
De Crimine læsæ Majestatis. 39
CAPUT UNICUM.
Specialia quædam hujus delicti explicantur. 42
TITULUS II.
De Crimine Ambitus. 45
TITULUS III.
De Crimine Repetundarum. ibid.
TITULUS IV.
De Crimine Peculatus, & de Residuis. 46
TITULUS V.
De Crimine Fraudatæ Annonæ. 48
TITULUS VI.
De Homicidio. 51
CAPUT PRIMUM.
De Parricidio. 54
CAPUT II.
De Assassinio. 58
TITULUS VII.
De Crimine Falsi. 64
TITULUS VIII.
De vi publica & privata. 73
TITULUS IX.
De Plagio, & Plagiariis. 75
TITULUS X.
De Furtis. 77
CAPUT UNICUM.
Quæstiones variæ, ad præcedentem spectantes Titulum, proponuntur, & resolvuntur. 81
TITULUS IX.
De Rapina. 89
CAPUT UNICUM.
De Incendiariis, & violatoribus Ecclesiarum. 93
TITULUS ULTIMUS.
De Crimine injuriarum & famosi libelli. 97

TERTIÆ PARTIS.

PROÆMIUM. 101
TITULUS PRIMUS.
De Crimine Blasphemiæ. 102
TITULUS II.
De Crimine Sortilegii. 103
TITULUS III.
De Sacrilegio. 104
TITULUS IV.
De Crimine Falsi in literis Apostolicis commissi. 105
TITULUS V.
De Crimine Usurarum. 107
TITULUS VI.
De Crimine Ludi. 111
TITULUS VII.
De Adulterio. 112
TITULUS VIII.
De Incestu. 113
TITULUS IX.
De Concubinatu, & Simplici Fornicatione. 115
TITULUS X.
De Sacrilegio Carnali. 116
TITULUS XI.
De Stupro. ibid.
TITULUS XII.
De Sodomia, & Bestialitate. 117
TITULUS XIII.
De Raptu. 118
TITULUS XIV.
De Reliquis delictis Carnis. 119

IN INSTITUTIONES CRIMINALES BREVIS INTRODUCTIO.

Rari quippe boni numero vix sunt totidem quot Thebarum Portæ, vel divitis Ostia Nili.

UTinam verum non ceciniſſet Satyricus! ſeneſcit plane jam Mundus, ſed non ſeneſcit malitia, adeo ut in pleriſque mortalibus Virtutem invenire cupidus, pene laterna Cynici indigeas. Neceſſum igitur habuit Juſtitia vindicativa in flagitia, & flagitioſos, quibus malo quodam fato ſcatet terrarum Orbis, ſeveris legibus pœniſque ſevevioribus animadvertere, ne alias bene compactum humanæ Reipublicæ corpus multiplici iniquorum contagione corrumperetur. Crimina igitur hic perſequemur, ut illorum cognitione edocti, conſtanter virtutem amore proſequi, & vitia quæ noveritis evitare diſcatis: Ita enim fiet, ut integram utriuſque Juris notionem teneatis, cum de maleficiis in poſtremis Libris cum Cæſarearum Inſtitutionum, tum Sanctionum Canonicarum, ex quibus Jus commune ſcriptum conficitur, plures tituli inſcribantur, quos pro noſtri muneris debito in hiſce Criminalibus Inſtitutionibus methodice, ac ſingillatim exponemus.

PARS PRIMA.

TITULUS PRIMUS.

Quid sit delictum.

1 DEfinitur a nobis Delictum *commissio, vel omissio dolo facta contra Legem aliquid imperantem, vel prohibentem sub pœna.*

2 Dicitur primo *commissio*; Delictum enim est quod fit contra præcepta Legis negative prohibentis aliquid; v. g. prohibet Lex ne fiat adulterium, si aliquis id patret, criminis reus est.

3 Dicitur secundo *omissio*, ut comprehendantur præcepta affirmativa Legis aliquid imperantis; v. g. jubet Ecclesia, ut in tempore Parasceve sumas Eucharistiam, si eam non sumas, crimen committis.

4 Dicitur tertio *dolo*; deficiente enim dolo non patratur Delictum: hinc infantes, fatui, aut dementes, utpote doli incapaces, delinquere non dicuntur, & a fortiori nequeunt delinquere Bruta, utpote rationis, & consequenter fraudis etiam expertia §. pauperies Inst. si quadrupes pauperiem fecisse dicatur.

5 Dicitur quarto *facta*; Verbum enim facere amplissimam habet significationem L. verbum *facere* ff. de Verb. & Rer. Sign. Hinc facere dicitur qui delinquit opere, v.g. committendo furtum; qui delinquit verbis, v. g. qui blasphemat, vel qui delinquit scripto, puta qui libellum scribit famosum; unius enim cogitationis nulla est pœna in Foro fori L. Cogitationis ff. de pœnis, licet aliud sit in Foro poli.

6 *Dicitur* ultimo *contra Legem aliquid imperantem, vel prohibentem sub pœna*, ut ostendantur duo modi delinquendi, nempe committendo aliquid, quod fit quando quis facit aliquid a Lege prohibitum, & omittendo aliquid, quod evenit, cum aliquis non facit aliquid, a Lege sub pœna imperatum.

TITULUS II.

Quotuplex sit delictum.

1 DElictum sic in genere definitum, dividitur primo in publicum, & privatum.

2 Publicum est, cuius accusatio cuilibet de Populo est permissa, dictum publicum, quasi populicum.

3 Privatum est, cujus accusatio, vel persecutio regulariter non permittitur nisi parti læsæ.

4 Publica delicta numerantur in L. prima ff. de pub. Judic. quibus etiam omnia delicta in Dei offensam principaliter tendentia: *quia quod in Religionem Divinam committitur in omnium fertur injuriam*: ait Text. in L. Manichæos C. de hæreticis: Hujusmodi essent hæresis, blasphemia, deturpatio sacrarum Imaginum, vel Ecclesiarum.

5 Discrimen hoc intercedit inter publica, & privata delicta, quod reus delicti publici fiat infamis, secus autem reus delicti privati. Text. est in L. infamem ff. de public. Judic.

6 Cum autem de Jure Canonico quodlibet crimen infamiam irroget, de eodem

dem Jure quodcumque crimen est publicum, nullum privatum. Ita sentit gl. in Can. infames in ver. fures 6. q. prima; ideoque Julius Clarus lib. 5. practicæ Crimin. §. primo num. 6. asserit, nunc temporis, cum varia in variis locis Statuta vigeant, ab illis, & consuetudine Locorum discernenda fore delicta publica a privatis.

7 Publica delicta subdividit Text. in L. 2. ff. de publ. Judic. in Capitalia, quibus pœna mortis irrogatur, & in non capitalia, quibus mitior pœna, quam mortis imponitur: licet hæc divisio possit nunc convenire etiam privatis delictis; furtum enim est delictum privatum, & tamen quis neget aliquando ex illo agi ad pœnam ultimi supplicii?

8 Altera Delictorum divisio est in nominata, quæ speciale nomen a Lege sortita sunt, ut adulterium, furtum, & in innominata, quæ nomen proprium, & elegans in Jure non habent, ut verberare alium, ingredi alterius domum, inter quæ delicta hæc est differentia, quod nominata nequeant non esse delicta; nequit enim quis adulter esse, quin delinquat; Innominata autem aliquando delicta non sunt v. gr. Magister correctionis ergo discipulum verberat, Medicus ægrotum curaturus ejus domum ingreditur, & tamen neuter ex illis delictum committit: de hac distinctione consulite Bart. in L. numquam plura nom. 4. ff. de privatis Delictis.

9 Dividuntur tertio Delicta in levia, pro quibus imponitur mitior pœna, quam mortis naturalis, vel Civilis; scilicet Triremium perpetuo; in atrocia, pro quibus imponitur pœna mortis naturalis, vel civilis; & in atrocissima, pro quibus imponitur pœna gravior simplici morte, ut si reus sit culeo insuendus, comburendus igne, scindendus in frusta, aut trahendus ad caudam equi &c. videte de hac re Soccinum Cons. 157. Et in atrocissimis delictis concedunt Leges Judicibus laxiores habenas, ita ut non teneantur adeo scrupulose servare Juris dispositionem.

10 Ultima Delictorum divisio est in mere Ecclesiastica, in mere sæcularia, & in communia. Mere Ecclesiastica ea sunt, quæ vel a Laicis, vel a Clericis patrentur, cognoscí solum queunt a Judicibus Ecclesiasticis. Mere sæcularia vero, de quibus, si a Laicis committantur, soli Judices Sæculares cognoscunt: communia vero sunt, quorum cognitio, si a Laicis fiant, pertinet æque ad Sæculares Iudices, ac ad Ecclesiasticos.

11 Triplex hæc divisio normam dabit hisce nostris Institutionibus, quas in tres partes dividemus, acturi in prima de Delictis mere Ecclesiasticis, in secunda de mere Sæcularibus, de communibus tandem in postrema.

TITULUS III.

De Hæresi, & quid sit.

1 HÆresis nomen græcum latine idem sonat, ac *electio* asserente D. Hieronymo in Can. Hæresis 24. quæst. 3. *Hæresis græce ab electione dicitur, quod scilicet eam sibi unusquisque eligat disciplinam, quam putat esse meliorem.*

2 Definitur autem communiter: *Error voluntarius intellectus cum pertinacia assensus contra aliquam veritatem Fidei Catholicæ in eo qui Fidem suscepit.*

3 Dicitur primo: *Error voluntarius intellectus*, quia sicut actus Fidei est actus intellectus certo assentientis veritati revelatæ, ita Hæresis est assensus, sive judicium falsum, & erroneum Intellectus ejusdem: debet autem hic error esse voluntarius, & liber, alias enim non dicitur Electio, quæ supponit

nit libertatem voluntatis; quare si quis involuntarie erraret circa res Fidei, vel invitus pateretur tentationes contra illam, Hæreticus non esset.

4 Dicitur secundo *cum pertinacia junctus:* sine enim pertinacia non datur hæreticus; hæc autem in eo stat, quod quis sciat suam sententiam contrariam esse universalis Ecclesiæ doctrinæ, & definitioni, & eam nihilominus teneat, suumque Judicium pertinaciter præferat doctrinæ Ecclesiæ, ita Text. in Can. dixit Apostolus 24. quæst. 3. *Dixit Apostolus: hæreticum hominem post primam, & secundam correctionem devita, sed qui sententiam suam quamvis falsam atque perversam nulla pertinaci animositate defendunt, quærunt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati, cum invenerint, nequaquam sunt inter hæreticos reputandi.*

5 Nec obstat si dicas ad constituendam hæresim non requiritur pertinacia, sed sufficit, *quod sit dogma perversum* Can. inter hæresim 24. quæst. 3. Ergo neque ad constituendum hæreticum requiritur pertinacia, sed sufficit assensus errori, seu falsæ doctrinæ.

6 Secundo plures dicuntur hæretici, v. g. Simoniaci, excommunicati, dubii in fide, & similes, ut late advertit gl. in Can. illi dicta quæst. 3. sed hi non habent pertinaciam: Ergo &c.

7 Facile enim respondebis ad primum negando consequentiam: malitia enim hæresis tota pendet ab ipsa materia quæ asseritur, quando asseri non debet; ut enim dicit etiam Philos. ab eo quod res est, vel non est, Propositio dicitur vera, vel falsa. Ad constituendum vero hæreticum duo requiruntur: Error in intellectu, & pertinacia in voluntate eligente eam disciplinam, quæ contraria sit disciplinæ veritatis: Sicuti enim nullus denominatur talis ab eo, quod inest imperfecte, sed solum, quando confirmatur in illo, exempli gratia non dicitur iracundus, cui inest passio Iræ, sed qui ad illam est proclivior, & ab ea frequenter corripitur, ita nec hæreticus est censendus, nisi qui in singulari opinione, quam sequitur, stabilitatem habet, ac firmitatem. Ita Card. Turrecrem. in dicto Can. dixit Apostolus num. 5. 6. & 7.

Ad secundam difficultatem obvia 8
pariter est responsio, quod nempe ii, quos Glossa objecta vocat hæreticos; non dicuntur tales proprie, sed improprie & lato modo, vel per aliquam similitudinem ad hæreticum verum, quatenus nempe aliquo modo præcisi sunt ab Ecclesiæ Communione, nos autem definimus Hæreticum proprium, & stricto modo acceptum.

Ex quo infertur, quod si quis igno- 9
ret etiam ex ignorantia crassa, & mortaliter culpabili opinionem suam adversari doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ, non sit proprie Hæreticus; neque Hæreticorum pœnis obnoxius, cum in ipso desit pertinacia. Ita Card. Turrecr. lib. 4. Summæ parte 2. cap. 13. Canus de Locis Theol. lib. 12. cap. 9. plurèsque apud Laym. lib. 2. Theol. Moral. tract. 1. cap. 13. n. 2. Si vero quis ignoret ignorantia affectata, distinguendum erit: vel enim ignorat ob discendi tædium, aut similes causas & is hæreticus proprie non erit. Ita Laym. loc. cit. & Sanch. lib. 2. Moral. c. 7. n. 23. ratio est, quia crimen Hæresis consummatur in Intellectu, & ad illud requiritur, ut quis scienter credat aliquid contra definitionem Ecclesiæ Catholicæ, & communem consensum fidelium; quare licet in tali ignorante adsit voluntarium sufficiens ad culpam gravem, non tamen ad hoc ut sit hæresis proprie dicta. Alioquin plures ex Catholicis ob ignorantiam multoties etiam culpabilem doctrinæ Ecclesiæ, & traditionum, censendi essent hæretici.

Sin vero quis affectate ignoret Ar- 10
ticulos Fidei, & eos inquirere prætermittat ob contemptum auctoritatis ejusdem Ecclesiæ, & parvam ejus æstimationem, hæreticus is censendus esset, quia talis non esset paratus judicium suum,

suum; etiam cognito errore, Ecclesiæ submittere, & captivare intellectum in obsequium Fidei; ideoque erraret pertinaciter. Ita DD. supra allegati, qui advertunt, hactenus dicta de affectate ignorante procedere in Catholico, qui nempe, præter unum, vel alterum errorem, credit Fidem Catholicæ Romanæ Ecclesiæ esse veram, eamque profitetur; non vero in iis, qui alienam Fidem ab Orthodoxa sectantur, ut Lutherani, Calvinistæ &c. hi enim cum veram Christi Ecclesiam, in cujus Fide baptizati fuerunt, oppugnent, inobedientes, pervicaces, & rebelles censendi sunt, & ideo inter hæreticos recensendi; ac pœnis hæreticorum obnoxii esse debent.

Dicitur jam tertio in Definitione, 11
contra aliquam veritatem Fidei Catholicæ, quia hæreticus concedit aliquos Fidei Catholicæ Articulos: nam si omnes neget, erit Apostata, & infidelis, non hæreticus.

Dicitur ultimo: *in eo, qui Fidem* 12
suscepit, alias enim non erit hæreticus, sed si totum Testamentum novum negaret, esset Judæus, si utrumque Paganus, sive Ethnicus.

Jam vero ad clariorem hujus tra- 13
ctationis utilissimæ & in Jure nostro latissimæ intellectum sit.

TITULUS IV.

Multiplex hæreticorum divisio traditur.

Caput Primum.

De quibusdam, de quibus dubitari potest an sint Hæretici proprie dicti nec ne.

1 Quæres primo utrum vere, ac formaliter hæreticus sit qui de Articulo aliquo Fidei, quem scit ab universali Ecclesia propositum esse, ac definitum, deliberate dubitet.

2 Respondeo Affirmative per Text. in cap. primo de Hæret. ibi: *Dubius in Fide infidelis est.* Ita communior Sententia cum D. Thoma 2. 2. qu. 10. art. 5. & qu. 11. art. 1. Cajet. in dicta qu. 11. art. 2. Turrecrem. lib. 4. summ. par. 2. cap. 12. Tolet. lib. 4. sum. c. 4. & aliis relatis a Barbos. ad dictum c. primum de hæret. contra Canum de Locis lib. 12. cap. 9. Sanch. lib. 2. Moral. cap. 7. num. 12 Malderum in 2. 2. qu. 12. Art. 1. memb. 2. aliosque relatos a Diana par. 2. tract. 2. resol. 56.

3 Probatur: quicumque aliquem Fidei Articulum, quem ab Ecclesia receptum scit, & fidelibus propositum, incertum esse judicat, est vere, & formaliter hæreticus, cum supponat explicite, vel implicite fallibilem esse Deum, qui talem Articulum revelavit Ecclesiæ, quique de se dixit *Matth. 24. Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt*; Sed quicumque de hujusmodi Fidei articulo deliberate dubitat, is vel explicite, vel implicite judicat eum incertum esse; ergo vere, & formaliter est hæreticus.

Quin relevet si ita arguas; Hære- 4
sis est error cum pertinacia contra Fidem ex dictis: sed dubitans nec assensum habet, nec dissensum: Ergo qui in Fide dubitat non est hæreticus.

Respondetur siquidem, deliberate 5
dubitantem, de quo loquitur Text. noster, non se habere mere negative; ideo enim objecto sibi proposito non assentitur, quia illud incertum judicat, vel implicite, vel expresse: ideoque dubius in propria significatione is non dicitur, qui mere suspendit assensum Fidei, alias quilibet esset dubius quotiescumque actum Fidei non eliceret, vel quando non advertat, ut in somno, amentia, vel animi diversione, vel quando etiam advertens, cum videat se non obligari ad eliciendum actum

actum, illum omittat; Ideoque Text. intelligendus est de deliberate dubitante, & sic non servante illud Athanasii in Symbolo *fideliter firmiterque crediderit*, ac aliud, de quo D. Jacobus in sua Epistola Canon. cap. 1. *in Fide nihil hæsitans*: Quare dicitur in Clem. unica §. porro de Summ. Trinit. quod non modo qui temere asserit, sed etiam qui vertit in dubium, an anima rationalis sit forma corporis humani per se, & essentialiter, tamquam hæreticus sit censendus.

6 Quæres secundo an Cathecumenus, qui nondum Baptismum recepit, si a Fide recedat, hæreticus sit?

7 Respondeo in Foro externo non fore reputandum hæreticum, nec subjici pœnis hæreticorum, cum Baptismo careat, cujus præexistentia est fundamentum necessarium ad hoc, ut quis Jurisdictioni Ecclesiæ subdatur: *Quid enim ad nos de his, qui foris sunt?* ajebat Apostolus: Ita Sanch. loc. cit. nu. 34. & Laym. 1. Erit tamen infidelis, nec ab aliis hæreticis essentialiter differet. Sicuti non differt essentialiter Æthiops ab hominibus albis; tamen cum inchoative tantum, non vero complete sit membrum Ecclesiæ, hæreticus proprie dicendus non erit. Ita DD. cit.

8 Quæres 3. an metu gravi, puta mortis, Fidem negans, sine ullo tamen interiore mentis assensu, quo verum judicet, quod facit, sit hæreticus.

9 Respondeo in Foro externo puniendum fore ut hæreticum, nisi revocet errorem suum, quia Ecclesia de internis non judicat. Formaliter tamen & proprie loquendo, peccare quidem graviter contra præceptum profitendi Fidem juxta illud Christi: *Qui me confessus fuerit coram hominibus &c.* proprie tamen, & vere hæreticum non esse, quia Hæresis proprie consistit in judicio erroneo Intellectus contra Fidem, quod abest ab eo, qui corde credit ad justitiam, licet ore non confiteatur ad salutem. Ita Azor. par. 1. Institit. Moral. lib. 8. cap. 9. qu. 9.

10 Quæres quarto quid significet dispositio Text. in cap. 2. de Hæreticis, ubi S. Leo PP. primus ita scribit. Qui alium ab errore non revocat, se ipsum errare demonstrat.

11 Respondeo cum Gonzalez ad dictum cap. num. 3, aliquibus personis ex officio competere punire hæreticos, ut sunt Episcopi, & Inquisitores, sique hi negligentes fuerint in detrimentum Fidei Catholicæ, adeo severe puniendos esse, ut ab Episcopali dignitate, & officio amoveantur ad Text. in c. Excommunicamus in primo §. volumus eod. tit. ut enim ajebat etiam Seneca in Hercule furente: *Qui non vetat peccare cum possit, jubet*; aliis autem id muneris ex officio non competere, ut sunt cæteri fideles, eosque debere sub pœna excommunicationis hæreticos denunciare juxta Constit. Gregorii IX. de qua Penna parte 2. Directorii, & Carena de Offic. Inquisit. parte 2. Tit. 3. §. 4.

12 Quæres quinto utrum Hæreticus, vel Schismaticus salvari possit.

13 Audi D. Augustinum respondentem in cap. 3. h. t. cujus verba extant in ejus libro de Fide ad Petrum Diaconum. *Firmissime tene & nullatenus dubites, omnem Hæreticum, vel Schismaticum, quamvis multas Eleemosynas faciat, vel etiam pro Christo Sanguinem fundat, cum diabolo, & Angelis ejus æterni ignis incendio particip andum, nisi ante finem hujus vitæ, Catholicæ fuit incorporatus, & redintegratus Ecclesiæ; omni enim homini, qui Ecclesiæ Catholicæ non tenet unitatem, nec baptismus, nec Eleemosyna quantumlibet copiosa, neque mors pro nomine susceptæ Christi proficere poterit ad Salutem.* Et ratio est, quia dum pertinax est in ipsa Hæresi, est extra Ecclesiam, ideoque nullo modo ante reconciliationem decedens salvari poterit.

CA-

CAPUT II.

De pœnis Hæreticorum & primo de Excommunicatione ab iis incurrenda.

14 PRima Hæreticorum pœna est Excommunicatio major latæ Sententiæ, quæ ipso facto ab iis incurritur, ut disposuit Lucius III. in cap. ad abolendam; Concilium Generale Lateranense sub Innocentio III. in cap. Excommuninamus *il primo*, & Greg. IX. in cap. Excommunicamus *il secondo* de Hæret. & hæc Excommunicatio reservata fuit S. Pontifici in Bulla Cœnæ Domini, ut omnibus notum est.

15 Ut autem incurratur dicta Excommunicatio, requiritur primo, quod Hæreticus sit proprie & formaliter talis. Secundo, quod hæresim internam signo, vel aliquo actu exteriore ostendat, quia Ecclesia non judicat de mere internis. Quare si quis etiam nemine præsente, & audiente, propositionem aliquam contra fidem proferat, Excommunicationi prædictæ erit obnoxius; talis enim Hæresis vere, & per se non est occulta, ideoque subjecta est Ecclesiæ potestati, quamvis per accidens ex defectu testium probari nequeat in Judicio. Ita Laym. l. c. cap. 14. num. 1. & Azor. cap. 10. qu. 2. nu. 6. Tertio, cum actus externus sit ex se moraliter malus, quia alias pœnæ gravissimæ, qualis est Excommunicatio, non esset obnoxius. Laym. ibid. num. 3. & Sanch. Moral. lib. 2. cap. 9. num. 20. Ac ultimo, quod Hæresis interna manifestetur animo eam profitendi, non vero si mere pronuncietur legendi, narrandi, vel disputandi gratia, tunc enim non profertur ut propria, sed ut aliena. Azor. ibid. quæst. 7. & Sanch. num. 24. Quare si quis ex interno Errore, quem animo fovet, Sacro nollet interesse, a Sacra Communione abstineret, genua non flecteret cum S. Hostia elevatur a Sacerdote, pensatis circumstantiis, cum tales omissiones prodeant ex vi hæresis internæ, procul dubio censendus esset facto Hæreticus formalis, & verus, ut advertit l. cit. Sanchez num. 16.

16 Advertendum in præfata Excommunicatione prima in Bulla Cœnæ Domini infligi eamdem pœnam contra eos, qui Hæreticorum libros Hæresim continentes, vel de Religione tractantes, sine permissu Pont. Summi, ac Apostolicæ Sedis scienter legunt, aut retinent, & eos imprimentes, aut quomodolibet defendentes ex quavis causa publice, vel occulte quovis ingenio, vel colore. Et ratio est quia si vivus Sermo hæretici, ut dixit Paulus, serpit ut Cancer, quanto magis liber, & scriptura, quæ ut verbum non volat, nec momento dilabitur? Quare cum Cœlestinus, & Pelagius de Hæresi damnati fuissent in Synodo Ephesina, dubitavit Patriarcha Antiochenus, an scripta eorum admitti possint.

17 Respondit S. Gregorius PP. relatus in cap. 4. de Hæret. quod non, inquiens: *quomodo poterant illa Capitula recipi, quorum damnabantur Auctores?*

18 Quod si quæras quinam Hæretici sint a Catholicis vitandi?

19 Respondeo, hodie rem esse expeditam post constitutionem editam a Martino V. in Concilio Constantiensi, in qua declaratur, non dici excommunicatum vitandum nisi notorium Clerici percussorem, & a Judice specialiter, & expresse denunciatum ut talem; quare nisi hæretici etiam manifesti sint nominatim, & expresse denunciati, non erunt de Jure Canonico vitandi; & ideo licitum est Catholicis cum illis versari, & civilia inire commercia, præsertim in locis, ubi vivunt cum iis permixti, ut Anglia, Germania &c. quia licet sint hæretici notorii, non sunt expresse, & nominatim denunciati. Ita Azor. l. c. c. 11. q. 1. Sanch. ibid. cap. 9. num. 5.

20 Idemque dicas si quis sit de hæresi

suspe-

ſuſpectus, quia ſi vocatus a Judice ad reſpondendum de fide, ſe a crimine graviſſimo non purgaverit, excommunicari debet, & vitari, ſique per annum (intellige ſine juſta cauſa, & impedimento) in excommunicatione inſorduerit, anno elapſo tamquam Hæreticus eſt damnandus; præſumitur enim fateri crimen, propter quod fuit excommunicatus, ideoque tamquam confeſſus & convictus damnandus eſt ad Text. in c. Excommunicamus 13. §. qui autem de Hæreticis, & C. cum contumacia eod. Tit. in 6.

CAPUT III.

De Privatione Beneficiorum Eccleſiaſticorum ab Hæreticis incurrenda.

21 HÆreticus privatur omnibus Beneficiis Eccleſiaſticis cap. ad abolendam de Hæret. & cap. ut commiſſi §. privandi eod. Tit. in 6. & quia turpius ejicitur, quam non admittitur hoſpes, a fortiori inhabiles fiunt ad alia obtinenda C. quicumque §. hæretici eod. Tit. in 6.

22 Quæſtio unice in hac materia viget inter DD. utrum nempe ipſo Jure privetur Hæreticus Beneficiis Eccleſiaſticis etiam ante Sententiam declaratoriam Judicis, ita ut fructus a die commiſſi criminis ſuos amplius non faciat, & hujuſmodi Beneficia impetrari poſſint tamquam vacantia etiam ante declaratoriam.

23 Probabilior autem, & communior eſt opinio, quod privetur beneficiis ipſo Jure. Ita Garz. de Benef. parte 11. cap. 10. num. 66. Farinac. de Hæreſi qu. 189. num. 77. & late Fagnan. in dicto cap. ad abolendam nu. 28. & ſeq.

24 Probatur primo. In cap. ad abolendam de hæret. dicitur quod Hæreticus: *omni officio, & Beneficio Eccleſiaſtico ſpoliatus, Sæcularis relinquatur arbitrio poteſtatis.* Illud autem verbum *Spoliatus* importat executionem & privationem ipſo Jure, ut notat Buttr. in cap. fin. num. 15. de poſtulante, ubi firmat generalem Theoricam, quod ubicumque in Jure habentur hæc verba: *Præcipimus ſpoliari*, vel *Spolietur*, licet verbum ſit futuri temporis, ſupponat privationem ipſo facto, & ſolum denotet amotionem manualem, & facti poſſeſſionem dimittendam, & eum ſequitur Felinus in cap. 2. num. 3. & in cap. Rodolphus num. 25. de reſcriptis, & in cap. inſinuatum in principio de Simon. Ergo a fortiori hoc dicendum erit in caſu noſtro, in quo ipſum Jus ſupponit Hæreticum quovis Beneficio ſpoliatum: Et ratio rationis eſt, quia hujuſmodi verba ſunt executiva; quare etiamſi ſint futuri temporis, important ſemper ſententiam latam a Lege.

2. Probatur in cap. cum ſecundum 25
Leges, de Hæret. in 6. dicitur bona hæreticorum eſſe confiſcata ipſo Jure, ita ut illico hæretici eorum dominium amittant, nec aliud requiratur, niſi pronunciatio Judicis Eccleſiaſtici ſuper crimine; ergo multo magis amittunt ipſo Jure Bona ſpiritualia, ſeu eccleſiaſtica, ut ſunt Beneficia.

3. Nicolaus II. in ſua Conſtitutio- 26
ne quæ incipit. Noverit Univerſitas in Bullar. To. 1. pag. 124. loquens de Hæreticis ait: *Nos enim prædictos ex nunc privamus Beneficiis acquiſitis volentes, ut tales, & habitis perpetuo careant, & ad alia ſimilia nequaquam in poſterum admittantur.* Quid clarius deſiderari poteſt?

Ult. ut advertit doctiſſimus Fagna- 27
nus loc. cit. num. 36. & ſeq. ſententiam hanc probavit S. Cong. Card. Concilii Tridentini Interpretum, quæ aliquando cenſuit, Epiſcopo notorie Hæretico, facultatem concedendi dimiſſorias ſpectare ad Capitulum Eccleſiæ Cathedralis. Ea ratione, quia propter hæreſim notoriam Prælati, Sedes Epiſcopalis vacat vere & proprie, & ideo Juriſdictio devolvitur ad Capitulum.

Aliquando cenſuit, Matrimonium 28
contractum coram Parocho Hæretico eſſe invalidum; & hoc non ex eo, quia Parochus Hæreticus ſit excommunicatus, cum alias declaraverit matrimonium contractum coram Parocho excommunicato etiam denunciato eſſe validum, quia Excommunicatus retinet Beneficia, licet non poſſit de novo acquirere, cap. cum bo. me. de Ætat. & qualit. & cap. poſtulaſtis de Cler. Excommunicato miniſtrante; ſed ideo tantum, quia Parochus Hæreticus deſinit eſſe Parochus, cum ipſo Jure ſit privatus Beneficio Parochiali.

29 Advertendum tamen, quod licet Hæreticus ipſo Jure ſit privatus beneficiis, ideoque ea impetrari poſſint etiam ante Sententiam declaratoriam, ut diximus, non tamen poſita poſſeſſione amoveri, niſi prius Sententia contra ipſum ſupra crimine Hæreſis prolata fuerit, cap. cum ſecundum Leges de Hæreticis in 6. & in hoc ſenſu conciliari poſſunt DD. qui aſſeruerunt, Hæreticum ante Sententiam declaratoriam non amittere Beneficia, intelligendo ſcilicet de poſſeſſione facti, non de dominio Juris.

CAPUT IV.

De Confiſcatione bonorum ab Hæreticis ſubeunda.

30 BOna Hæreticorum confiſcanda ſunt etiamſi Catholicos filios habeant. Rationem reddit Text. in cap. vergentis hoc titulo, his verbis: *Cum enim ſecundum legitimas Sanctiones reis læſæ Majeſtatis punitis capite; bona confiſcentur eorum, filiis ſuis vita ſolummodo ex miſericordia conſervata, quanto magis qui aberrantes in Fide, Domini Dei filium Jeſum Chriſtum offendunt, a capite noſtro, quod eſt Chriſtus, Eccleſiaſtica debent diſtrictione præcidi, & bonis temporalibus ſpoliari, cum longe ſit gravius æternam, quam temporalem lædere Majeſtatem.*

31 Adverte tamen ad effectum confiſcandi hujuſmodi bona, neceſſario prærequiri ſententiam declaratoriam Judicis Eccleſiaſtici ſupra ipſo crimine Hæreſeos Jo: And. hic num. 2. & Card. num. 1.

Adverte 2. quod eſto hæreticus hæ- 33
reſim abjuret, bona ſua non recuperet, niſi ex miſericordia Eccleſiæ. Gl. hic in verbo miſereri & Hoſtienſis n. 1. ſicuti Epiſcopus lapſus in Hæreſim non recuperat Epiſcopatum, niſi ex miſericordia. Can. ipſa pietas 23. quæſtion. 4.

Adverte 3. aliquando propter deli- 33
cta parentum filios etiam puniri, cum ut ait Text. adductus: *Quandoque feratur ultio, non ſolum in auctores ſcelerum, ſed etiam in progeniem damnatorum.* Quare dicitur Hierem. cap. 31. *Patres comederunt uvas acerbas, & filiorum dentes obſtupuerunt.* Idque tum ob immanitatem paterni criminis, tum quia exempla paterni ſceleris in filiis metuuntur; quare ut advertit Fagn. in dicto cap. vergentis numer. 12. etiam Sacra Pœnitentiaria quando abſolvit aliquem ab irregularitate incurſa ob Presbytericidium, apponit clauſulam, de qua in capitul. quibuſdam de pœnis videlicet: *Et ne minus vindicta quam exceſſus memoria prorogetur, ipſe, ejuſque liberi propter hoc cenſeantur inhabiles ad beneficia Eccleſiaſtica obtinenda, niſi cum eis fuerit ſupra hoc miſericorditer diſpenſatum.*

Adverte 4. quod licet quoad pri- 34
vandos filios bonis paternis in hac materia contrarium definiverit Jus Civile in Leg. Manichæos, & in Authent. idem eſt Cod. de Hæretic. tamen hæc diſpoſitio correcta fuit a dicta Decretali, & a Conſtitutione Friderici Imperat. incipiente hac Edictali, oppoſitum e diametro ſtatuentis.

Adverte 5. filium hæretici ipſo Ju- 35
re privatum eſſe beneficiis, ac penſionibus Eccleſiaſticis obtentis antequam etiam Pater condemnetur, hoc

enim delictum ex dictis non modo æquiparatur, verum etiam longo intervallo superat crimen læsæ majestatis humanæ, quod filiis reorum solam vitam ex miseratione relinquit per Text. in L. quisquis cod. ad L. Juliam majestatis, ut illis perpetua egestate sordentibus mors sit solatium, & vita supplicium. Si ergo in crimine læsæ Majestatis humanæ, quale esset percutere personam Cardinalis, expresse cautum est in Jure, quod ita delinquentium filii privati sint ipso Jure beneficiis obtentis, per Text. in cap. fœlicis §. quod si quis de pœnis in 6. a fortiori idem dicendum erit in pœnis reorum læsæ Majestatis divinæ. Ita sentiunt Jo: Andreas in cap. ut commissi de Hæret. in 6. ibique Gemin. n. 4. Gigas de Crimin. læsæ majest. lib. 3. Tit. de pœnis, quas filii incurrunt qu. 11. Covar. lib. 2. var. cap. 8. num. 4. & Clar. in praxi §. hæreses vers. Item Clericus.

36 Quinimo discusso hoc dubio in Rota de mandato Sanctissimi in causa Conchensis Pensionis coram Peregrino sub die 6. Martii 1598. Rota resolvit tales filios ipso Jure privatos esse beneficiis, & pensionibus etiam ante paternum delictum obtentis, & reservatis, quæ Decisio est impressa post Garz. de Benef. parte 11. cap. 10. nu. 79. & Farinacc. tom. 2. dec. 123. & Marches. de commiss. parte 1. fol. 215. Et ita servari in Tribunali Sanctissimæ Inquisitionis testatur Fagnan. ad cap. vergentis de hæret. num. 31. §. additur.

37 Postremo adverte dotes Uxorum Catholicarum propter virorum hæresim non confiscari, nisi forte mulieres scienter contraxissent Matrimonium cum viris jam hæreticis. Ita Text. in cap. decrevit de Hæret. in 6. Ratio primæ partis assertionis est, quia nemo debet portare alienam iniquitatem, nisi in Jure sit cautum, ut est in filiis. Ratio secundæ partis est, quia tunc in pœnam delicti, & ob periculum perversionis, cui se tales mulieres exponunt, earum dotes publicandæ sunt.

CAPUT V.

De quibusdam aliis pœnis, quas hæretici incurrunt.

GRavissimum hoc crimen multiplici pœna scelestos afficit, & quidem ultra explicatas.

Primo, hæreticus evadit infamis in- 38
famia Juris post sententiam Judicis declaratoriam C. excommunicamus §. credentes de Hæret. Quare excluduntur hæretici ab omni actu legitimo, ab honoribus, dignitatibus, advocati, notarii, vel Judicis officio exercendo Auth. credentes §. nullus cod. eod. Tit.

Secundo, Hæreticus, quem notorie 39
constet in hæresi decessisse, sepultura Ecclesiastica privatur. C. sicut §. si autem eod. tit. quia quibus vivis non communicamus, neque mortuis communicare debemus cap. sacris de sepult. ita ut quicumque scienter hæreticum in loco sacro tumulaverit, sententiam Excommunicationis incurrat, nisi propriis manibus publice eum extumulet, ejusque corpus projiciat, dummodo ejus ossa possint ab aliorum ossibus discerni, & locus ille perpetuo sepulturæ usu careat, & tamquam prophanus censeri debeat. Ita Alex. IV. in c. quicumque de Hæret. in 6.

Tertio Hæreticus nec restari, nec 40
hæres institui potest L. Manichæos C. de Hæret. & dicto cap. Excommunicamus §. credentes.

Quod tamen intelligi debet post 41
sententiam criminis declaratoriam. Ita Farinac. de Hæres. qu. 190. nu. 92. & seqq. ac præsertim num. 102. & 104. ita ut si Episcopus vel Clericus scienter Hæreticum hæredem instituat, vel iis in vita, aut in morte quidquam largiatur, excommunicari debeat. C. si quis, & c. in eos de Hæret. in 6. idemque dicendum de quocumque Fideli etiam Laico, qui hæreticum scienter

tet hæredem instituat juxta Farinac. l. c. nu. 111. Ratio est, quia ita instituens redditur de Hæresi suspectus juxta Menoch. de præsumpt. lib. 5. præsumpt. 6. num. 33.

42 Quarto, Pater hæreticus amittit Patriam potestatem in filios suos cap. 2. §. fin. dicto tit. in 6. ideoque neque illum emancipare, neque ei pupillariter substituere potest, cum nullam in eum amplius habeat potestatem. Ita Farinac. de Hæres. qu. 179. num. 29. & seqq. post Jo: And. in c. absolutos de Hæret. num. 1. ibique Abb. num. 3.

43 Quinto, Vassalli, aliique omnes, qui hæreticis tenebantur adstricti, liberantur ab omni obligatione ad Text. in dicto cap. absolutos, & sic nota, Papam ratione criminis Ecclesiastici absolvere posse Vassallos Laicorum a qualibet obligatione contracta, ut notat Butr. in dicto c. absolutos num. 2. in Abb. in 1. notab. & Felin. in *princ.*

44 Quare Hæreticus ipso Jure amittit obligationem fidelitatis & Homagii, & cujuscumque alterius servitii, & obsequii juxta Jo: And. ad dictum c. num. 3. Butr. in 1. not. & Hostiensem in princ. Ideoque servi familiares, & mercenarii sunt etiam liberati; littera enim Text. liberat *a debito totius obsequii*, & sic omnes comprehendit Jo: And. ib. n. 1. Butr. n. 3. & Abb. nu. 2. Quinimo debitor, qui promiserit stata die solvere sub certa pœna, non incidit in commissum, si creditori Hæretico non solvat, sique juraverit ei solvere, non dejerat non solvens, quia Juramentum habet in se tacitam conditionem si res in eodem statu permanserit ut ei communicandum sit. Ita Gl. 2. ad dictum Text, & D. D. allegati. Tenebitur tamen debitor solvere Fisco, si creditoris Hæretici bona fuerint publicata, vel alteri, cui declaratum fuerit esse solvendum. Ita Marian. Soccin. in dictum Text. n. 14.

CAPUT VI.

De pœnis corporalibus Hæreticorum.

HÆreticus, nisi se corrigat, & er- 45
rorem abjuret, si Clericus sit, est degradandus, & tradendus Curiæ Sæculari, si vero sit Laicus, eidem Curiæ Sæculari tradendus est, ut ab illa puniatur; eademque pœna infligenda est suspectis de hæresi, qui se non purgent. Hæretici autem relapsi audiendi non sunt, sed Sæculari judicio sunt penitus relinquendi. Ita Lucius III. in c. ad abolendam de Hæret.

Pœna autem quæ a Judice Sæcu- 46
lari infligitur hæreticis impœnitentibus est mors naturalis L. Ariani, & L. quicumque C. de Hæret. & ex consuetudine, præsertim Hæresiarchæ vivi comburuntur juxta Clar. §. Hæresis num. 7. & Farinac. qu. 189. num. 4. & 5.

Quamobrem ut Hæreticus effugiat 47
pœnam ultimi supplicii, quatuor copulative requiruntur. Primo quod incontinenti abjuret errorem suum. Secundo quod sponte id faciat. Tertio quod abjuret publice errorem arbitrio Episcopi, vel Judicis competentis. Quarto quod de peccato condigne satisfaciat per salutarem pœnitentiam sibi infligendam, ut in dicto cap. & in cap. ut commissi de Hæret. in 6. & repetentes ad illa; Ecclesia enim utpote pia mater gremium ad se redeuntibus non claudit, sed eosdem misericorditer tuetur can. ponderet, & Can. quia dist. 50. Can. agnovimus, & Can. his qui 26. qu. 6. juxta illud Ezechielis: *Peccator in quacumque hora conversus fuerit, & ingemuerit, omnium iniquitatum ejus non recordabor amplius.*

Regulariter tamen hujusmodi pœ- 48
nitentes in perpetuum carcerem ad agendam pœnitentiam detruduntur, ut ex cap. pen. h. t. nisi tamen sponte comparuerint, antequam de crimine accusati, aut denuntiati fuissent, tunc enim perpetuo carceri non mancipan-

tur, ut arguitur a dicto cap. pen. ibi: *qui postquam fuerint deprehensi redire noluerunt ad agendam condignam pœnitentiam, in perpetuum carcerem detrudantur*: Ergo arguendo a contrario, si sponte redeant, & misericordiam implorent, antequam fuerint deprehensi, non videntur perpetuo carcere mulctandi; & ita servari in Supremo Tribunali Sanctissimæ Inquisit. testatur Fagnan. in dicto cap. ad abolendam num. 19.

49 Relapsi autem, etiamsi prius hæresis non fuerit plene probata, sed ob solam ejus suspicionem fuerit facta abjuratio, audiri non debent, quia cum semel Ecclesiam ficta pœnitentia deceperint, ejus misericordiam experiri amplius non debent, ut notant Butr. ad dictum capit. ad abolendam numer. 8. & Marian. Soccinus numer. 71.

50 Cum enim ex verbis Gelasii Papæ relatis in Can. legatur 24. quæst. 2. habeamus regulam certam, quod venia concedi non debeat nisi pœnitentibus, ibi: *Legatur ex quo est religio Christiana, vel certe detur exemplum in Ecclesia Dei quibuslibet Pontificibus, aut ab ipsis Apostolis, aut ab ipso denique Salvatore, nisi corrigentibus se fuisse concessam*. Id certo exactius observari debebit in relapso, qui cum redierit ad hæresim ejuratam, se ostendit in Fide incostantem, & ideo Alex. IV. in cap. supra eo de Hæret. in 6. statuit relapsum admittendum non fore ad Sacramenta pœnitentiæ, & Eucharistiæ, nisi manifesta dederit indicia pœnitentiæ; unde omnis pœna relapsi Papæ est arbitraria, quia Constitutio Lucii III. supra relata est Juris mere positivi juxta Innoc. in cap. cum ad Monasterium num. 3. de Stat. Monach. & Fagnan. l. c. num. 47.

51 Cum autem hodie juxta stylum Sanctissimæ Inquisitionis hæreticus pœnitens generaliter omnes hæreses abjurare soleat, in quamcumque postea quis incidat, relapsus dicitur juxta Farinac. de Hæres. quæst. 195. num. 45. præsertim quia ut dicitur in cap. 13. hoc titul. Hæreses quibuscumque nominibus censeantur, facies quidem diversas habent, sed causas ad invicem colligatas, quia de varietate conveniunt in idipsum; quare cecinit Prudentius lib. 2. circa Simmachum. *Una superstitio est, quamvis non concolor error*.

Sciendum jam, quod aliqua, ob sui 52
atrocitatem, crimen hoc peculiaria habeat in Jure nostro.

Et primo quidem, quod ad proban- 53
dam hæresim favore Fidei, & ut facilius scelus hoc puniri possit, admittantur testes alias in Jure inhabiles ad ferendum testimonium, nempe excommunicati, socii criminis, aliique criminosi, & infames. C. in fidei hoc titul. in 6. Qui tamen quamvis semper sufficiant ad inquirendum, torquendum reum, & etiam ad pœnam extraordinariam infligendam, non sufficiunt tamen ad condemnandum, nisi plures, quam duo fuerint, & cum eorum depositionibus concurrant verisimiles conjecturæ, & circumstantiæ, ex quibus præsumatur facti veritas, & depositionum, ut colligitur ex dicto cap. in Fidei, & firmat Farin. de Hæres. quæstion. 188. num. 83. 84.

2. Licet perjurus repellatur a fa- 54
ciendo testimonio, si tamen quis tam de se, quam de aliis in causa Fidei veritatem celaverit, & postea etiam ex intervallo velit corrigere dictum suum, & veritatem pandere, admittendus est, dummodo ex manifestis indiciis appareat, non ex animi levitate, & odio, aut pecunia suadente, sed zelo Orthodoxæ Fidei, quæ prius tacuerat velle revelare. Text. est in cap. accusatus §. licet hoc tit. in 6.

3. In hoc crimine admittitur testis 55
domesticus, & familiaris, servus contra dominum, Frater contra fratrem, consanguineus contra consanguineum, maritus contra uxorem, Pater contra filium,

filium; qui etiam cogi possunt in defectum aliarum probationum ad testimonium ferendum. C. litteras de præsumpt. & Farinacc. quæst. 188. nu. 143. & seqq. tum quia domestici magis informati præsumuntur de his, quæ domi fiunt, tum quia sunt alieni a suspicione, quod deponant falsum contra conjunctos.

56 4. Admittuntur etiam mulieres, minores 25. annis, dummodo sint doli capaces, & etiam Laici contra Clericum juxta Farinacc. ibid. num. 76. & seqq.

57 5. De consuetudine supremi Tribunalis Sanctissimæ Inquisitionis non publicantur umquam in hoc crimine nomina accusatoris, & testium juxta Farinacc. dicta quæstion. 188. num. 12. quamvis absit periculum quoad tales personas: illo enim existente a Jure imponitur prædictum secretum Ordinariis, & Inquisitoribus per Text. in cap. ultim. §. & eorumdem hoc tit. in 6.

Ac postremo ob criminis immani- 58
tatem etiam hæretici defuncti memoria damnari potest, vel fuerit hæreticus verus, vel præsumptus, idest citatus in causam Fidei per Annum fuerit contumax, & ita decesserit non editis pœnitentiæ signis juxta Text. in cap. 13. hoc tit. ita Bellamer. Dec. 688. & duabus seqq.

TITULUS V.

De Schismate, & Schismaticis.

1 SChisma nomen Græcum scissuram importat, seu divisionem unitatis, & definitur a D. Thom. 2. 2. quæst. 39. art. 1. *Divisio, per quam quis se ab unitate Ecclesiæ separat, in quantum Ecclesia est Corpus mysticum, ex universis fidelibus ut membris, & Romano Pontifice tamquam capite constans*.

2 Pro cujus intelligentia sciendum est, Ecclesiam militantem, in qua manemus nos viatores, distingui a Triumphante, in qua perpetuo vivunt beati comprehensores. Hæc Ecclesia militans est Corpus Mysticum optime compactum, cujus fideles membra sunt, & illius, quousque inter nos mansit, caput visibile Christus fuit, sed ipso in cœlum elato, suam Vicariam potestatem Petro ejusque successoribus relinquens, constituit Summum Pontificem in caput visibile Ecclesiæ militantis, ut apud Catholicos est infallibile.

3 His positis: Schisma dicitur primo *Divisio*, quod stat loco generis, convenitque Schisma per illud cum Hæresi, quæ pariter hæreticum membrum veluti sordidum separat a fidelium communione.

Reliqua verba ostendunt duplicem 4
modum, quo quis Schismaticus esse potest, nempe quatenus nolit esse subjectus, & subordinatus Pontifici, qua Ecclesiæ Caput est, vel quatenus nolit communicare cum reliquis fidelibus in aliqua actione spirituali ad totum Ecclesiæ corpus pertinente, puta contemnendo Sacramentorum usum, vel cultum religiosum in Catholica Ecclesia præstari solitum.

Quod si aliquis se subtrahat a Pon- 5
tificis obedientia, non quatenus est Ecclesiæ caput, sed ob peculiares causas, puta quia ipsi inimicus sit, non dicitur Schismaticus. Farinacc. de Hæres. quæstion. 184. §. 1. numer. 11.

Duplicis generis Schismatici sunt: 6
vel enim sunt Schismatici tantum, vel Schismatici & Hæretici simul. Primi generis sunt illi, qui nullum dogma asserunt catholicæ Fidei contrarium, sed nolunt ex malitia Ecclesiæ capiti subjici, vel cum aliis Fidelibus communicare.

Schis-

7 Schismatici & Hæretici simul sunt, qui subtrahunt se ab obedientia Romani Pontificis ut Ecclesiæ capitis, & a Fidelium unitate, & insuper negant per dogma Hæreticum authoritatem Papæ, & unitatem Ecclesiæ, aliam Ecclesiam, illegitimumque ejus caput sibi effingentes. Quare vides omnem Hæreticum esse etiam Schismaticum, quia ab Ecclesia Romana per aliquod perversum dogma se dividit, non autem e contra semper omnem Schismaticum esse Hæreticum simul. Ita Gonzal. ad c. 2. de Schismaticis nu. 3. qui bene advertit cum D. Tho. l. c. Schisma esse peccatum contra obedientiam, & charitatem; Hæresim autem contra Fidem.

8 Quilibet vero Schismaticus vehementer de Hæresi suspectus est. Raro enim contingit in hac materia aliquem dari errore voluntatis, scilicet Schismate laborantem, & carentem errore intellectus, hoc est hæresi; adeoque omnes Schismatici, non solum schisma abjurare tenentur, sed etiam Hæresis suspicionem. Ita Farinacc. laudata qu. 84. num. 35. Et de facto Schisma, præsertim diuturnum, in Hæresim desinit, ut dicitur in cap. inter 24. qu. 3. ut videmus hodie esse apud Græcos cum Schisma sit Hæresis inchoative, ut explicat Suares lib. 1. in defens. Fidei cap. 22. & Fagn. ad cap. primum de Schismaticis num. 16.

Caput Primum.

De pœnis Schismaticorum.

9 PRima Schismaticorum pœna est excommunicatio latæ sententiæ, quæ est prima in ordine in Bulla Cœnæ Domini.

10 Secundo, Schismaticus est inhabilis ad beneficia, & dignitates Ecclesiasticas, præsertim Episcopalem, etiam abjurato Schismate, nisi a Summo Pontifice fuerit dispensatus C. quia diligentia, de Elect.

11 Tertio, inhabiles sunt perpetuo ad omnia beneficia, & eorum bona confiscanda sunt cap. unico h. t. in 6.

12 Et ultimo puniri possunt pœnis corporalibus, etiam Triremium: sique fuerint Schismatici, & hæretici simul, ac in errore contumaces, etiam pœna mortis juxta Farin. de hæres. qu. 184. num. 51. & 52.

Caput II.

An Ordinationes, aliaque gesta a Schismaticis sint valida, & de Ordinatis ab eis.

13 IN cap. primo h. t. decernitur ordinationes factas a Schismaticis, & ordinatis ab eis esse irritas, & qui ab iis acceperunt beneficia Ecclesiastica, carere debere impetratis: Ulterius, quod alienationes rerum Ecclesiasticarum factæ a Schismaticis, vel a Laicis, sint invalidæ, & ad Ecclesias sine ullo onere revertantur; & contrafacientes excommunicati sunt; qui vero sponte de tenendo schismate juramentum præstiterint, a Sacris Ordinibus, & dignitatibus sint suspensi.

14 Et ratio est, quia Schismatici amiserunt omnem potestatem in rebus Ecclesiasticis; quomodo ergo possunt aliis dare quod non habent?

15 Distinguendum tamen est in hac materia cum D. Thom. 2. 2. qu. 39. art. 3. duplicem esse in Episcopis potestatem, aliam Sacramentalem aliam Jurisdictionalem. Sacramentalis est, quæ per aliquam consecrationem adipiscitur, ut potestas characteris, quæ consistit in conficiendo corpore, & Sanguine Christi, & in Sacramentis conferendis, Jurisdictionalis vero est, quæ confertur per simplicem hominis injunctionem, ut facultas excommunicandi, absolvendi, concedendi Indulgentias.

16 Potestas Sacramentalis secundum suam essentiam remanet in homine quamdiu vivit, sive in Schisma, sive in hæresim labatur. Quare Episcopus Schis-

maticus valide ordines confert, & de facto rediens ad unionem Ecclesiæ iterum non consecratur. Can. ordinationes 9. qu. 1. Sed quia potestas inferior nequit agere, nisi moveatur a potestate superiori, ut patet etiam in rebus naturalibus, inde est, quod tales personæ usum potestatis amittant, idest non possint uti sua potestate, & per consequens si ea utantur, operentur quidem effectus Sacramentales, quia in illis homo agit solum ut instrumentum Dei, & hujusmodi effectus existunt independenter a merito, vel demerito conferentis. Can. si justus 1. qu. 1. sed ab iis ordinati, vel confirmati, recipiunt quidem characterem, sed non usum, seu executionem Ordinis, cum nemo det quod non habet. Ita Glos in cit. cap. 1. ver. irritas.

17 Potestas autem jurisdictionalis, quæ ex simplici injunctione hominis confertur, non adhæret immobiliter subjecto, & ideo in Schismaticis, & hæreticis non manet: ideoque non possunt absolvere, excommunicare, indulgentias concedere &c. Can. omnibus. Can. ait Cœlestinus, & Can. aperte 24. qu. 1.

18 Et ita explicantur plures Canones, in quibus dicitur, hujusmodi personas, utpote extra Ecclesiam constitutas, nihil habere Juris, seu potestatis spiritualis, ut habetur in Can. Novatianus 7. qu. 1. Can. 1. & Can. qui ordinationes 9. qu. 1. Can. didicimus & Can. pudenda 24. qu. 1. Debent enim intelligi, vel quoad potestatem Jurisdictionis, qua tales privantur, vel quoad Actum secundum, seu usum potestatis Ordinis, quem non recipiunt ordinati a Schismaticis, vel aliis ab Ecclesia separatis, & præcisis. Ita Card. Turrecr. in Can. qui perfectionem n. 3. & 4. & can. seq. primo qu. prima. Ut enim ait D. Basil. ad Amphilochium cap. 1. hujusmodi perditi pastores ab Ecclesia defecerunt, & discissa fuit consequentia, ac legitima successio, quæ ab Apostolis, & Episcopis prioribus in eos, qui de novo ordinantur, derivatur.

19 Nec obstat si dicas, quod Episcopus Schismaticus nequeat valide conferre Sacramentum pœnitentiæ: Ergo neque Ordinis quod est nobilius.

20 Dispar enim est ratio in uno, & in altero Sacramento, ut optime advertit Gonzal. ad dictum cap. primum num. 7. circa med.

21 Primo, quia Sacramentum pœnitentiæ non potest conferri valide, nisi ab habente Jurisdictionem, quæ omnino deficit in Episcopo Schismatico: Sacramentum autem Ordinis non requirit Jurisdictionem in conferente, sed solam eminentiam Sacerdotii, seu Episcopalem potestatem Sacramentalem, quæ remanet in Schismatico.

22 Secundo, quia in Sacramento pœnitentiæ nihil datur præter gratiam, quam tantum abest, ut a Schismatico consequi quis valeat, ut potius qui ei communicat, præsertim in divinis, novi criminis contagione polluatur: At in Sacramento Ordinis præter gratiam confertur character spiritualis, qui animæ suscipienti imprimitur, independenter a merito, vel culpa qualibet conferentis.

23 Advertendum jam, quod ordinatus a Schismatico possit incontinenti ab officio removeri, nisi probaverit cum eo fuisse misericorditer dispensatum ab habente potestatem dispensandi. Ita Text. in cap. fraternitati de Schismat.

24 Si ergo quis scienter, vel ex crassa, & supina ignorantia ab Episcopo Schismatico ordinatus fuerit, poterit a solo Summo Pontifice dispensationem obtinere. Layman. in cap. quia diligentia de elect. nu. 5. cum eo vero, qui ex ignorantia inculpabili a tali Episcopo fuerit ordinatus, etiam Episcopus dispensare poterit. Gl. in dicto cap. fraternitati ver. potestatem, ibique Abb. num. 7.

TITULUS VI.

De Crimine Apostasiæ.

25 APostata nomen Græcum idem significat, ac desertor L. desertorem ff. de re militari, & etiam latine dicitur prævaricator, ut notat S. Ambros. serm. 75. in Psal. 118. vers. 7. & refugam vocavit Apostatam S. August. lib. 20. de Civit. Dei cap. 19.

26 Definitur ergo a D. Thoma 2. 2. q. 12. art. 1. *Desertio Dei facta per eum, qui Christianus est*, qui ibidem qu. 20. art. 5. advertit Apostasiam esse speciem infidelitatis, quæ differt ab hæresi accidentaliter, non essentialiter, quia Apostata est vere hæreticus, contradicit enim Fidei Catholicæ, quam semel professus fuit; differt autem ab hæretico; hic enim recedit a Fide in parte, negando unum vel alterum ejusdem Articulum; Apostata autem, de quo dicemus infra, nempe perfidiæ, recedit a Fide in totum; major autem, vel minor recessus a Fide, quam quis professus fuit, non mutat speciem, sed tantum addit circumstantiam valde aggravantem, pravitatem, seu deformitatem Infidelitatis.

27 Differt autem Apostata a Gentili, seu Pagano, quia hic numquam Fidem Catholicam professus fuit, & differt a Judæo; quia hic contradicit Fidei Christianæ, quam in Typrs, umbris, & figuris antea receperat, non re ipsa juxta Azor. parte 1. Moral. lib. 8. cap. 21. & ideo omnis Apostata est hæreticus, non vero omnis hæreticus est Apostata, ut liquet ex dictis.

28 Proprie, & stricte loquendo Apostatarum duo sunt genera, ut asserit Archidiac. in Can. placuit dist. 50. nu. 4. Alius enim est Apostata perfidiæ, quando nempe quis Catholicam Fidem totaliter abnegat, puta si fiat Paganus, vel Turca &c.

29 Alius est Apostata irregularitatis, quando nempe quis recedit ab ordine sacro suscepto, vel a Religione, quam professus fuit, quamvis DD. ac præsertim Theologi Morales addiderint tertiam Apostasiæ speciem improprie dictam, quam nuncupaverunt inobedientiæ, per quam quis transgreditur præceptum aliquod Dei, sacrorum Canonum, vel sui Prælati Ecclesiastici, in quo sensu quicumque peccat lethaliter, Apostata est.

CAPUT PRIMUM.

De Apostata perfidiæ.

30 APostatæ perfidiæ iisdem pœnis obnoxii sunt, quibus hæreticos tum lapsos, tum relapsos diximus fore affligendos juxta Abb. in cap. 1. de Apostat. num. 3. & Hostien. in summ. ibid. num. 3. & contra illos procedit Tribunal Sanctissimæ Inquisitionis, & si in impietate persistant, tradit brachio Sæculari, a quo ultimo supplicio afficiuntur cap. contra de Hæret. in 6. L. 9. c. de Apostat. late Farin. qu. 183. §. 4. per tot. Quinimo Ecclesiæ temporibus tanta execratione devovebantur impii hujusmodi desertores, ut testetur D. Basil. ad Amphilochium cap. 1. quod ab iis baptizati iterum rebaptizabantur, & etiam in vitæ exitu eis venia denegabatur per text. in L. 3. Cod. de Apostat.

31 Nec est necesse, ut quis dicatur Apostata, quod amplectatur Sectam Turcicam, vel Ethnicam; spectatur enim in hoc crimine tantum terminus a quo, non ad quem, quod nempe quis Fidem Catholicam, quam profitebatur, totaliter deserat, ideoque conversio ad aliam sectam est mere accidentalis, seu materialis, ut advertunt ad rem Sanchez lib. 1. moral. cap. 7. nu. 16. 17. & Laym. lib. 2. Theol. Moral. Tit. 1. c. 16. n. 2. & seq.

32 Ulterius Apostata non modo est, qui Catholicam Fidem, quam a nativitate professus fuit, totus deseruit, verum etiam qui a Paganismo, vel Judaismo ad eam accessit per Baptismum, & postea ad Judaicos, vel Gentiles ritus revertitur. Text. est in c. quidam de Apostat. desumptus ex Concilio General. Lateranensi sub Innoc. 3. celebrato, qui rationem ita reddit: *cum minus malum existat viam domini non agnoscere, quam post agnitam retroire.*

33 Quæres autem, an si quis Judæus v. g. baptizatus, sed non sub debita forma, & postea recedat a Fide, sit in Foro fori puniendus tamquam Apostata? Affirmant Castro lib. 1. de Hæreticorum punitione c. 8. q. 3. ad fin. Ricciolus de Jure personarum lib. 6. c. 3. & Bordon. in Manual. Sancti Officii c. 9. sect. 2. nu. 11. quilibet enim debet judicari juxta habitum, quem defert, & quamvis hic non potuisset salvari Baptismo fluminis nulliter suscepto, poterat tamen introire in Regnum Dei per Baptismum flaminis: rursus non debet esse in alicujus potestate christiani nomen sic ementiri, ut inter fideles Christianorum fruatur honoribus, & pœnas Fidei transgressoribus inflictas evadat, cum qui sentit commodum, etiam incommodum sentire debeat. L. secundum ff. de reg. Jur. sicuti reputatur, ac de Jure præsumitur hæreticus, qui quamvis re ipsa Catholicus non sit, se tamen ut Catholicum gerit, quia in similibus plus operatur, & attenditur opinio, quam veritas. Ita Ricciol. l. c. n. 6. & Simanch. de Catholicis Tit. 31. n. 1.

34 Ideoque confessus, aut convictus de actibus, seu cæremoniis Judaicis, puniendus erit ut Apostata, quamvis animum, intentionemque negaverit. Cap. filiis, & c. contra de Hæreticis in 6. Simanch. l. cit. Tit. 10. nu. 9. & Tit. 50. num. 5. & Farinacc. de Hæres. quæst. 178. nu. 139. Et quamvis in hoc casu subijciendus sit Torturæ super intentione, id tamen procedet si actus, quos exercuerit, sint dubii, puta jejunia &c. secus si sint facta certa, & sua natura reprobata, ut circumcisio, celebratio Paschæ Judæorum &c. tunc enim etiam sine Tortura damnandus esset. Consulire Simanch. de Cathol. Tit. 65. nu. 52. & in Enchirid. Tit. 29. num. 10. ac Peniam p. 3. directorum Commentar. 1. 0. ut enim ait Lactant. Firmian. lib. 3. divinarum Instit. c. 15. *nihil interest quo animo facias, quod feciſſe vitiosum est quia facta cernuntur, animus non videtur*, & dixit etiam Tullius 3. Tusculan. *Quid verba audiam, cum facta videam?*

CAPUT II.

De Apostata Irregularitatis.

35 QUæres primo quisnam dicatur proprie loquendo Apostata ab ordine Clericali?

36 Respondeo: is, qui edito continentiæ voto ad statum Laicalem propria authoritate transit, vel uxorem ducere audet. Ita Hostiensis in sum. h. t. n. 2. & Farinac. dicta quæst. 180. §. 9. num. 115. contra quos, sicuti contra Regulares professos, qui cæca libidine ducti uxores ducant, procedit Tribunal Sanctissimæ Inquisitionis, tamquam contra de Hæresi vehementer suspectos juxta Farinac. ibid. num. 71. & seqq.

37 Quod extendunt etiam Abb. in cap. Tuæ n. 2. seq. h. t. & Farinac. l. c. nu. 127. etiam ad Clericos in minoribus, habentes tamen Beneficium Ecclesiasticum, si habitu clericali dimisso, ad nuptias, vel statum sæcularem transeant, quod tamen est intelligendum, non quatenus in Foro externo pœnis Apostatarum sint obnoxii, sed quatenus privilegiis clericalibus privari possint, prout disponitur in c. 1. h. tit. & advertit ibid. Gonzal. n. 5. prope fin.

38 Horum autem Apostatarum pœna est excommunicat. ferendæ sententiæ

Abb. in c. 1. nu. 3. h. t. Infamia, durante Apostasia Can. alicui 1. q. 7. & Diaz. in practic. Canon. C. 115. nu. 2. & privatio privilegiorum Clericalium, si habitum non reassumant, dicto C. 1. h. t. Quinimo si post adhibitas ab Ordinario diligentias, & monitiones, habitum reassumere nolint, carceri mancipandi sunt, donec a sua nequitia resipiscant, ut disponitur in C. a nobis hoc tit.

39 Quæres 2. quis sit, & dicatur proprie Apostata a Religione?

40 Resp. ille, qui sine licentia sui superioris a statu Religioso, quem professus fuit, recessit animo numquam ad talem statum redeundi: ita Rodriq. To. 1. quæst. Regul. q. 30. Sylv. in Sum. verbo Apostasia n. 9. qu. 4. & Farinac. dicta q. 183. §. 7. per tot.

41 Requiritur ergo primo ad hanc Apostasiam, quod quis deserat Religionem sine licentia sui Superioris, alias si eam obtinuerit non est Apostata.

42 Requiritur 2. quod in ea Professionem emiserit, nam habitus assumptio Religiosum non facit, sed religiosa professio. Cap. statuimus de regular.

43 Requiritur 3. quod deserat Religionem animo numquam ad eam redeundi, alias dicetur Religiosus fugitivus, non Apostata, ut considerat Gibalin. de Clausur. regular. 2. parte c. 3. si tamen mora extra septa Monasterii esset notabiliter diuturna, præsumenda esset Apostasia, quia vere deficeret a statu suscepto. Ita Tamburin. de Jur. Abbat. To. 3. disp. 8. qu. 1. num. 13. Azor. parte prima Instit. Moral. lib. 12. C. 17. quæst. 6. Valentia 2. 2. disp. 1. qu. 12. p. 1.

44 Quæres 2. an Religiosus sine sedis Apostolicæ permissu transiens ad laxiorem Religionem sit Apostata, vel saltem excommunicatus, & suspensus?

45 Resp. negative cum Innoc. in Cap. ex parte n. 1. de temp. Ordinat. ibiq. Butr. nu. 5. Joanne de Anania num. 1. Lapus Alleg. 33. Ludovic. Roman. Con. 341. & late Fagnan. in cap. consultationi h. t. nu. 5. & seq. Ratio est, quia talis Religiosus, licet graviter peccet, proprie tamen non facit contra ea, quæ sunt de substantia Ordinis, cum semper sit in alicujus obedientia, ideoque in totum non recedit a Statu Religioso.

Videtur tamen esse contradictio hic 46
inter duos Textus, nempe cap. ex parte de tem. ordin. & cap. consultat. hoc Tit. In primo enim cum quidam Abbas, & Monachi Cistercienses, ut advertit Gonzal. in not. ad illum nu. 2. narrassent Innoc. III. quemdam eorum Religiosum transitum fecisse sine licentia Superioris Regularis ad Monachos nigros, (quos ibidem Gonzalez autumat fuisse Monachos Ordinis D. Benedicti) & habitu inter eos assumpto, ibi ordinatum fuisse Sacerdotem, & quæsissent a dicto Pontifice utrum in assumpto Ordine posset ministrare, respondit Pontifex, quod ipsi permitterent libere exercere Officium Sacerdotis.

In cap. autem consultationi de Apo- 47
stat. Honorius III. decernit, Monachum, qui in Apostasia Ordinem Sacrum recepit, quantumvis suo fuerit reconciliatus Abbati, & pœnitentiam receperit, in suscepto Ordine absque S. Pontificis dispensatione ministrare non posse.

Solvitur tamen antinomia, & con- 48
trarietas a Fagnan. l. c. num. 11. quod nempe Text. in cap. ex parte procedat in Monacho, qui licet de facto transierit ad alium Ordinem, tamen habitum non dimisit, Text. vero in cap. consultationi procedat in eo, qui habitum dimisit, & totaliter ad Sæculum redit, qui proprie dicitur Apostata, & hujus criminis pœnis fit obnoxius, ac incidit in excommunicat. latam in cap. ut periculosa ne Cleric. vel Monach. in 6.

Verum tamen est, quod excommu- 49
nicatio lata in dicto cap. ut periculosa, procedat proprie contra Regulares, habitu dimisso, extra claustra vagantes, ut illis subtrahatur occasio vagandi mentito habitu Sæculari, ideoque proprie non procedit contra Apostatas, qui redierunt ad Sæculum animo numquam ad religionem regrediendi, ut advertit Sanch. lib. 2. mor. cap. 8. nu. 20. quamvis tamen hujusmodi Apostatæ per privilegia specialia, quibuscumque fere ordinibus concessa, Excommunicationem ipso facto incurrant, in quo sensu intelligi debent Gl. in dicto c. ut periculosa verbo: *ipso facto*, Menoch. de arbitr. casu 546. nu. 3. & Farin. loc. cit. num. 107.

TITULUS VII.

De Simonia.

1 ETymon hujus nominis, ut omnibus compertum est, descendit a Simone Mago, qui primus in Lege Evangelica nefarium hoc scelus patravit: ut enim habetur Act. Apost. c. 8. videns D. Petrum per manuum impositionem conferre Spiritum Sanctum, idest Sacram Ordinationem, donum hoc supernaturale emere voluit, ut aliis venderet, putans donum Dei pecunia possideri; quare ait Cassiodor. lib. 9. variar. cap. 15. *Recolatur & timeatur Simonis justa damnatio, qui emendum credidit totius largitatis Auctorem.*

2 Licet siquidem ante ipsum, Balaam suas locaverit operas, ut populo Dei benediceret, Num. cap. 21. Giezi a Naaman Principe Assyriorum duo talenta acceperit, quem Elisæus lepra mundaverat, ut habetur 4. Reg. cap. 5. & Jeroboam, ut dicitur 3. Reg. cap. 13. *fecit de novissimis Sacerdotes excelsorum, quicumque volebat, implebat manum suam, & fiebat Sacerdos*, tamen neque illi Simoniaci vere, & proprie fuerunt, ut probat Gibalin. de Simonia qu. 6. Consect. 3. & 16. quia Balaam non fuit verus Propheta, sed tamquam Ariolus, & maleficus sua vaticinia, & maleficia vendidit, quare illa fuit merces iniquitatis, non vere pretium rei spiritualis. Giezi, si habuit animum petendi pretium a Naaman sanitatis ei per miraculum ab Elisæo restitutæ, fuit Simoniacus, ut plures asserunt cum D. Tho. 2. 2. qu. 100. art. 1. ad 4. si vero videns paratum Naamanum ad exercendam liberalitatem, & grati erga Prophetam animi testimonium, aliquid in eam causam exegit, non fuit proprie Simoniacus, sed reus injustitiæ, & furti, rapiens a Naamano quæ ipse illi dari noluit, sed Elisæo, & fingens id sibi ab Elisæo fuisse imperatum: & de facto furibus, & avaris eum adnumerant D. Chrysost. in cap. 3. Isaiæ, & D. Ambros. lib. 4. in cap. 4. Lucæ. Quoad Jeroboam, verba illa lib. Reg. 4. cap. 5. non significant, quod ambientes Sacerdotium impleverint pecunia manum Jeroboam, sed quemcumque pro libito usurpasse Sacerdotium, & implesse, aut potius consecrasse manum suam sacrificando, ut explicant illum locum Abulens. qu. 14. Sanch. in Comment. & alii. Demum omnes ii non curarunt emere, Simon autem voluit emere, & aliis vendere Spiritum S. Quare Simoniam hæresim esse, & hæresi damnabiliorem, cum Simoniacus sit de Fide suspectus, putans Spiritualia esse venalia, dixerunt SS. PP. & DD. cum D. Gregor. lib. 9. epist. 53. & D. Thom. dicta qu. 100. art. 1. ad 1. tendit enim proprie contra Spiritum Sanctum. Quare refert D. Petrus Damianus ep. 1. cap. 7. Simoniacum quemdam scelus suum parvipendentem, jussum pronunciare verba illa: *Gloria Patri & Filio, & Spiritui Sancto*, etiam secundo & tertio conatum numquam potuisse addere *& Spiritui Sancto*; nam ut subjicit Damianus: *Merito Spiritum Sanctum dum emit, amisit, ut qui exclusus erat ab anima,*

procul etiam consequenter esset a lingua; Et narrat Card. Baronius to. 11. ad annos Christi 1047. & 1063. Henricum II. Imp. anno 1047. ob Simoniæ labem a *Spiritu* Sancto desertum, professum esse se toto triduo dæmones infestos vidisse, flammam in illum ejaculantes, in cujus comparatione ignis noster calere non videbatur, sed liberatum fuisse a Juvene semiustulato, nempe a S. Laurentio, cujus Ecclesiam restauraverat.

3 Crimen ergo hoc gravissimum cum Gl. caus. 1. qu. 1. in summa ver. quidam, & D. Th. dicta qu. 100. art. 1. definitur: *Studiosa voluntas emendi, aut vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum.*

4 Dicitur primo *voluntas studiosa*, loco generis, & accipitur causa pro effectu, nempe voluntas, pro voluntaria actione, ut excludantur actus voluntatis non deliberati, vel ex ignorantia invincibili prodeuntes, utque etiam ostendatur, crimen hoc etiam sola voluntate & animo perfici, ac compleri, ita Less. de Just. & Jur. lib. 2. c. 32. nu. 3. & Suar. tom. 1. de relig. lib. 4. de Simon. cap. 1. num. 9.

5 Nec ideo debet dici minus apta hæc definitio, utpote quæ Simoniam pure mentalem, non etiam realem, & ad opus deductam complectatur; tum quia nulla actio externa est formaliter Simoniaca, & mala, nisi voluntatem includat, & ab ea procedat; actus enim externi, juxta Theologos communiter, desumunt malitiam suam formalem, & bonitatem ab actu interno voluntatis libere imperantis; tum etiam quia, ut docent D. Th. l. c. & Sot. lib. 9. de Just. qu. 3. art. 2. tribus modis spiritualia nec emi, nec vendi possunt. *Primo* quia nullo pretio æstimari valent. *Secundo*, quia nullus etiam Pont. est illorum dominus, sed dispensator juxta Paul. ad Corinth. c. 4. *Tertio*, quia id repugnat naturæ spiritualium, juxta illud Matth. 10. *Gratis accepistis, gratis date*; ideoque hujusmodi rerum, utpote quæ sunt extra Patrimonium nostrum, nulla est emptio etiam de Jure Civili L. in tantum §. Sacræ ff. de rer. divis. L. sed & Celsus, & L. hanc Legem ff. de contrahend. empt. & consequenter bene dicitur Simonia: *Studiosa voluntas emendi &c.* quia per pretium studiose procuratur aliquid emi, re autem vera nihil emitur, cum rerum Spiritualium nullum sit commercium. Ita subtiliter Gonzalez ad cap. 1. h. t. nu. 13.

Jam vero dicitur secundo: *Emendi,* 6
aut vendendi, accipiendo late nomen venditionis pro omni contractu oneroso, & reciproco, pro quo res temporalis, idest quodlibet pecunia æstimabile datur, tamquam pretium, æstimatio, seu compensatio rei spiritualis, vel hic contractus sit vera venditio, vel permutatio, locatio, transactio, contractus innominatus, aut quævis pactio expressa, vel tacita, aut alius actus non gratis factus, vel omissus, ut Electio, institutio, renunciatio &c. juxta D. Th. dicto art. 1. ad 5.

Dicitur tertio *aliquid spirituale*, 7
quorum multæ sunt species; quædam enim sunt talia per essentiam, ut gratia, virtutes infusæ &c. Quædam per causam, ut Sacramenta Ecclesiæ, quæ efficiunt, & causant gratiam, quædam per effectum ut Sacramentorum administratio, officiorum celebratio, dona prophetiæ, & Miraculorum, quia descendunt a gratia, vel ad eam disponunt.

Dicitur quarto: *vel Spirituali annexum*: 8
aliqua enim non sunt intrinsece spiritualia, sed illis annexa, & ab iis dependentia, & quidem dupliciter, vel antecedenter, vel consequenter.

Antecedenter, ut Ecclesiæ, Alta- 9
ria, vestes, cætera ornamenta sacra, & Juspatronatus, quæ omnia antecedunt Sacramentorum administrationem, divinorum officiorum celebrationem, & ad illa ordinantur; *Consequenter* vero, quæ spiritualia præsupponunt, & ab iis dependent, ut Beneficia, Decimæ, quæ procedunt, vel ex potestate Ordinis, vel Jurisdictionis. Ita

D. Th.

D. Th. l. c. art. 4. Redoan. de Simonia 3. parte qu. 13. & Gibalin. eod. Tract. qu. 3. quibus addunt aliqui, (sed meo judicio minus proprie, cum ea mere temporalia sint, ut patebit) aliqua annexa spiritualibus concomitanter, ut labor corporis, qui suscipitur in conficiendis, & administrandis Sacramentis, divinisque Officiis celebrandis.

10 Dividitur primo Simonia in eam, quæ est prohibita, quia mala est, & in eam, quæ est mala quia prohibita, seu in illam, quæ est vetita ab ipso Jure naturali, & divino, & in eam, quæ a solo Jure humano positivo prohibetur. Ita Gl. in c. ex parte ver. dimittere de Officio Judicis delegati.

11 Prima fieret si v. g. venderetur Hostia Sacra, vel Sacramentum: secunda si Beneficia Ecclesiastica in contractum deducerentur, aut inter se commutarentur sine licentia Superioris C. quæsitum, & C. cum olim de rerum permutat. Can. Salvator primo qu. 3. can. si quis Episcopus 1. qu. 1.

12 Advertendum tamen quoad hoc, omnem Simoniam etiam eorum, quæ sacra sunt ex Jure humano, repugnare Juri divino, & naturali: Ita Hadrian. quodlibet. 9. Sot. lib. 9. de Just. quæst. 5. & Gibalin. de Simon. quæst. 4. v. g. Benedictio Aquæ lustralis est solum ex Institutione Ecclesiæ; si quis tamen Aquam Benedictam vendat, committeret Simoniam, etiam si numquam Ecclesia prohibuisset talem venditionem; præceptum enim illud Christi, *Gratis accepistis, gratis date*: procedit quoad omnia spiritualia, quæ ex natura sua invendibilia sunt, & extra nostrum commercium. Ita præter D. D. laudatos Cajetan. to. 2. opusc. tract. 9. quæst. 1. Victoria in relect. de Simon. 1. parte a num. 9. & Binsfelchius in rubric. de Simon. notab. 12. quæst. 4.

13 Ulterius dividitur Simonia in mentalem, conventionalem, & realem. Mentalis non est, quæ stat in nudo interno proposito Simoniam committendi, cum Simonia sit vitium, quod requirit actum externum aliquem, licet interius consummetur, & a deliberatione voluntatis denominetur formaliter talis, sed quando; vel res temporalis datur animo obligandi recipientem ad conferendam spiritualem, vel confertur spiritualis animo vicissim obligandi eum cui confertur ad præstandam temporalem, nullo tamen expresso, vel tacito pacto intercedente: puta si quis inserviret Episcopo hac intentione, ut mercedis loco ei Beneficium conferret, esse Simoniacus mentalis. Redoan. de Simon. parte 1. cap. 2. num. 11. & D. D. in c. mandato h. t. ejusque exemplum habetur in c. tua eodem tit. ubi Clericus, qui dedit bona sua Ecclesiæ, ut reciperetur in Canonicum absque ulla pacto, ea tamen intentione, ut per bona temporalia spirituale Officium assequeretur, apud Deum, qui est scrutator cordium, & cognitor secretorum, culpabilis judicatur: Et hæc Simonia evenire potest ex parte tantum dantis, accipientis tantum, & etiam utriusque, si nempe uterque hanc pravam intentionem foveat, nullo pacto inito.

Quæres autem, an Simoniacus pu- 14
re mentalis teneatur ad restitutionem rei, seu pretii cum intentione Simoniaca accepti?

Et videtur negative respondendum, 15
quia Text. in C mandato hoc t. expresse dicit, *quod hujusmodi delinquentibus sufficit per solam pœnitentiam suo satisfacere Creatori*, & in C. tua nos t. eod. tales Simoniaci dicuntur apud Deum culpabiles, non apud homines, quia Ecclesia de occultis non judicat. Ita plures cum S. Tho. dicta qu. 100. art. 5. & 6.

In oppositam tamen ivere Senten- 16
tiam Sotus lib. 9. de Just. qu. 8. art. 2. in solutione ad 6. Hadrian. quodliber. 9. Major in 4. dist. 25. quæst. 1. art. 7. & alii ea ratione, quia quando tam dare, quam accipere aliquod est injustum, non potest sic acquisitum in foro conscientiæ retineri, præcipue autem

mo-

moventur authoritate Text. in C. consuluit de usur. ubi expresse disponitur usurarium mentalem teneri ad restitutionem, ergo a pari etiam Simoniacum mentalem teneri dicendum erit; qua difficultate oppressi Abb. Anania, & Felin. in C. fin. hoc tit. dixerunt, Pontificem consulendum esse pro vera ratione hujus discriminis inter usurarium, & Simoniacum mentalem.

17 Ad conciliandos igitur hos Canones censeo veriorem sententiam Gonzal. ad dictum cap. ult. num. 3. & seqq. qui eam mutuatus fuit a Gibalin. de Simon. quod nempe si Simonia mentalis violet Justitiam commutativam, tenetur Simoniacus ad restitutionem pretii accepti, quia radix obligationis ad restitutionem est in justitia, & inæqualitas, quæ est reparanda, vel ea interim sit patens, vel occulta, nihil refert, quia ex ipsa natura rei debet æqualitas reponi; secus vero si Justitiam non lædat, ut erat in casu cap. fin. h. t. in quo agebatur de ingressu Religionis mentaliter Simoniaco, quod erat merum Sacrilegium, non injustitia; & sic patet discrimen inter usuram, & Simoniam: usura enim licet mentalis, habens tamen adjunctum opus externum, semper lædit Justitiam, & ideo semper obligat ad restitutionem, non vero Simonia, quæ semper pugnat contra Religionem, cum sit profanatio rei sacræ, & spiritualis, non vero semper contra Justitiam, & ideo si mere mentalis sit, non semper obligat ad restitutionem, v. g. si aliquis nullum incommodum patitur, vel emolumentum aut lucrum amittit dando rem spiritualem: tunc erit injustitia, si accipiat temporale in illius compensationem; puta si quis venderet Calicem Sacrum pluris ac valeat Argentum, & opificium, committeret Simoniam etiam contra Justitiam, quia cum ratione spiritualitatis res non sit pretio æstimabilis, & venalis, non potest per talem venditionem ullum Jus acquiri accipienti rem temporalem, nec ejus dominium per talem contractum quovis Jure irritum transferri. Suarez dicto lib. 4. de Simonia cap. 4. num. 7. & Layman lib. 4. Theol. Moral. Tractat. 10. cap. ult. §. 1. num. 5.

Jam autem Simonia conventionalis 18
est, quando mutuum pactum superadditum fuit vel expressum, vel tacitum, de danda re spirituali pro temporali; sique ex neutrius parte sit adhuc sequuta traditio, dicitur mere conventionalis; si vero unus rem temporalem, vel spiritualem tradiderit, non alius, dicitur mixta, quia participat de reali, & conventionali. Differt autem a mentali, quia pravæ intentioni addit pactum, differt a reali per carentiam traditionis saltem ex parte unius contrahentis.

Realis tandem ea est, quæ ex utra- 19
que parte est exequutioni demandata, quia scilicet & datum fuit pretium, & recepta res spiritualis promissa: Sit autem.

Caput Primum.

De Simonia, quæ committitur circa res mere & intrinsece spirituales.

SImonia hæc dupliciter committi 20
potest. In abstracto, ut egit Simon Magus, qui voluit a Petro emere facultatem conferendi Spiritum Sanctum, seu gratiam Sanctificantem: & in concreto, puta si quis Christianum captivum carius venderet, quia baptizatus est, vel Sacerdotem propter characterem animæ impressum. Ita D. Th. l. c. ar. 1. ad 4. & Suar. lib. 4. de Simonia c. 49. n. 8 & seq. Ita pariter dare, vel accipere pretium pro septem Ecclesiæ Sacramentis, & etiam Sacrificio Missæ; cum per illud Eucharistiæ Sacramentum conficiatur, est pariter Simonia Jure Divino prohibita juxta illud Matth. 10. *quod gratis accepistis, gratis date*, & consonat Text. in C. cum in Ecclesiæ hoc titulo, ubi dicitur, quod non obstante contraria consuetudine, seu potius corruptela, quicumque id criminis patrare ausus fuerit, *portionem cum Giezi se noverit habiturum, cujus factum exactione turpis muneris imitatur.*

21 Nec mirandum est, quod in Matrimonio, quod est de Fide esse Sacramentum, & gratiam conferre, quidquid perperam, & erronee dicat Gloss. in dicto C. cum in Ecclesiæ v. benedictionibus, aliquid conferatur, quia Matrimonium ante esse Sacramenti præsupponit esse contractus civilis, & naturalis, in quo conjuges invicem tradunt, & acceptant mutam in corpora sua potestatem, & ideo illi accedere potest dos ad ferenda onera Matrimonialia, vel aliquid aliud ad supplendam contractus æqualitatem, puta si una persona contrahens esset nobilis vel juvenis, altera ignobilis, vel senex: id enim non præstatur tamquam pretium Sacramenti, sed est compensatio, seu traditio temporalis pro temporali, in quo unus contrahens alium excedit. Ita Suar. l. c. cap. 10. nu. 11. & 12. Et Layman lib. 4. tr. 10. cap. ult. §. 4. num. 33.

22 Sicuti autem nequeunt vendi Sacramenta, ita nec Sacramentalia, idest cœremoniæ, seu Ritus ab Ecclesia instituti pro Sacrificio Missæ, & administratione Sacramentorum, ut Benedictio nuptiarum, aquæ, olei, consecratio Calicis &c. Ita Suar. l. c. cap. 14. num. 2. & 3. & Can. si quis 1. quæst. 3. quia hujusmodi res sunt mere sacræ & spirituales, tum ratione principii, quia institutæ sunt potestate supernaturali a Christo Ecclesiæ concessa, tum quia ordinantur ad finem supernaturalem, & animarum salutem.

Caput II.

De Simonia quæ committitur circa Sacros Ordines.

23 PRO collatione Ordinum, & Instrumentis seu litteris super iis conficiendis, nec Episcopi, nec eorum Ministri, aut Notarii quidquam exigere possunt, aut accipere, neque dare ii, qui ordinantur: Ita Tex. in cap. 1. h. t. & Can. sicut Episcopum 1. quæst. 2. ob rationes in superiori §. deductas.

Excipe tantum id, quod præscri- 24
bitur in Pontificali Romano præstandum fore ab ordinatis Episcopo, ut advertit Fagn. in dicto cap. 1. num. 121.

Supervenit tamen hac in re Triden- 25
tinum sess. 21. cap. 1. de ref. quod idem decrevit etiam quoad primam Tonsuram, & quoad litteras dimissorias, & testimoniales, ac etiam quoad Sigillum, excepitque Notarios, quibus in iis tantum, in quibus non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi, potestatem fecit, ut pro singulis litteris dimissoriis, aut testimonialibus, decimam tantum unius aurei partem accipere possint, dummodo eis nullum salarium sit ab Episcopo constitutum, nec *Episcopo ex Notarii* emolumentis aliquod commodum directe vel indirecte proveniat, cassavitque & annullavit omnes contrarias consuetudines etiam immemorabiles.

Hanc autem Trid. dispositionem S. 26
Cong. Concilii sæpius censuit habere locum etiam in collat. Beneficii, in quo ratione majoris laboris indulsit Cancellario Episcopi facultatem accipiendi unum aureum tantum, computatis scriptura, sigillo, & cæteris omnibus, dummodo tamen ipsi nullum ab Episcopo salarium præfinitum sit, & ex pecunia, quam accipit, nihil emolumenti ad collatores, vel Institutores, etiam ratione sigilli, directe vel indirecte perveniat. Ita Fagnan. in dicto cap. 1. num. 31. ubi num. seqq. usque ad finem refert plures alios casus, in quibus Episcopus, & Notarius nihil exigere possunt citra Simoniæ labem, afferendo resolutiones Sacrarum Congregationum Concilii, & Episcoporum, & Regularium.

CA-

CAPUT III.

De Simonia, quæ committitur circa Divina officia, & Prædicationem.

27 ASsero primo: Officia Divina seu publicæ Orationes, quæ ex Institutione Ecclesiæ fiunt ab ejus Ministris, sive in Choro, sive in Litaniis, & publicis supplicationibus, vendi, aut emi nequeunt citra Simoniæ vitium, Jure Divino, & naturali prohibente. Ita D. Tho. *l. c. art. 3.* & Text. in cap. ad nostram h. t. Ratio est, quia talia Officia diriguntur ad cultum Dei, ipsique satisfaciendum de congruo pro peccatis hominum, & alia Beneficia impetranda.

28 Potest tamen aliquid exigi pro hujusmodi Officiis in satisfactionem Ministrorum Altaris, vel ratione consuetudinis, dummodo non ut pretium exigatur, *Sylv. in sum.* verbo Simoniam parte 9. Laym. dicto cap. ult. §. 4. num. 38. Sicuti possum pauperibus, vel Religiosis largiri eleemosynam, ut pro me privatim orent, & opus est pium, ac meritorium, quia quod præsto, non cedit in pretium orationum, & precum pro me fundendarum. Ita Suar. l. c. c. 15. num. 9.

29 Assero secundo: pro Officio prædicationis pretium exigere, eadem Simonia est juxta D. Tho. dicto art. 3. ad 2. Christus enim postquam Matt. cap. 10. dixit: *Euntes prædicate &c.* subjungit: *Gratis accepistis, gratis date*; Cæterum sumere necessariam sui subsistentationem, vel aliud titulo Eleemosynæ Concionatoribus non est vetitum C. cum voluntate §. prædicatores de Sententia Excom. & Suar. dicto cap. 18. num. 43.

30 Advertendum jam cum Suar. l. c. cap. 21. num. 5. & seqq. Less. de Just. & Jur. cap. 35. nu. 52. & seqq. & Laym. l. c. num. 41. & 42. quod dare vel accipere pecuniam pro æstimatione laboris corporalis impendendi necessario & intrinsece in peragendis sacris functionibus, puta administrandis Sacramentis, Simoniacum sit: ratio est quia labor ille corporalis intrinsecus actioni, nullam aliam habet æstimationem præter eam, quam habet ipsa actio sacra & spiritualis, cui intime adhæret; labor enim corporis non est pretio æstimabilis, nisi in ordine ad opus, cujus causa suscipitur; ergo sicuti ipsa actio sacra est invendibilis, ita labor corporalis cum ea intrinsece conjunctus, & sine quo actio fieri non potest: si vero labor sit per accidens solum, & extrinsece annexus actioni sacræ, vel eam comitetur, ut cantus in Missa, obligatio faciendi sacrum tali loco, vel tempore, aut adsit aliud incommodum pretio æstimabile, tunc pro tali labore non necessario connexo actioni sacræ explendæ, aliquod temporale licite exigi potest, juxta DD. supra laudatos.

CAPUT IV.

De Simonia quæ committitur pro suscipiendo habitu Regulari, ejusque pœnis.

DIco primo: accipere aliquid temporale tamquam pretium pro ingressu Religionis Simonia est. cap. veniens h. t. & extrav. 1. de Simon. ratio est, quia Status Religionis est res spiritualis, pro qua nihil exigi potest. 31

Nec obstat primo Text. in c. fin. de renunc. & in c. præsentia de probat. in quibus habetur sanctioribus Ecclesiæ nascentis sæculis fideles in usu habuisse omnia sua ad Monasterium deferre, in quo profitebantur. 32

Respondeo enim, non esse vetitum quod quis voluntarie, & ex propria devotione deferat Bona ad Religionem; prohiberi autem solum, quod id fiat ex pacto, & veluti accepto pretio pro Religione ingredienda. 33

Nec obstat secundo si dicas, Moniales etiam nunc deferre dotem, quando Monasterium ingrediuntur, quam consuetudinem D. D. laudabilem asserunt cum D. Tho. 2. 2. quæst. 100. art. 3. 34

35 Respondeo enim pecuniam, seu dotem solvi pro substentatione Monialis non pro ipso ingressu Religionis; ideoque temporale dari pro temporali, qualis est substentatio, non pro spirituali, seu pro ipsa Monastici habitus susceptione; sicuti pariter licet Matrimonium sit res sacra, & spiritualis, tamen pro illo dos solvi potest, ac debet pro sublevandis oneribus Matrimonii; quare si pro ipso ingressu Monialis pretium exigatur, Simonia committitur per Text. in C. quoniam h. t. ita intelligendum juxta Azor. parte 3. Instit. Moral. lib. 12. cap. 16. quæst. 1. & Gonzal. ad cap. veniens cit. num. 7.

36 Qua de causa Trid. sess. 25. cap. 16. de regul. decrevit, quod pro victu, & vestitu etiam Novitii tempore, quo in probatione est, aliquod exigi possit.

37 Prima pœna lata a Jure pro Simoniaco ingressu Religionis est, quod Superiores Regulares, aliique, qui pecuniam acceperint, eam restituere debent, & suspenduntur ab Officio C. veniens cit. quam tamen suspensionem procedere, si per inquisitionem constiterit de Simonia, secus si per accusationem, quo casu tam dantes, quam recipientes deponendos fore ab Officio statuit Innoc. III. in C. dilectus 29. h. t. quam tamen inquisitionem accipiendam esse pro generali, quando nempe Prælatus visitans suam Diœcesim inquirit de vita, & moribus subditorum, non vero specialem, quæ fit infamia præcedente contra aliquem, de qua loquitur Text. in C. Inquisitionis de accusat. quia tunc infamia gerit vices accusatoris, & ideo reus puniendus est pœna ordinaria, nempe depositione, & aliis a Jure inflictis, sentit Gonzal. ad dictum C. dilectus n. 3. per tot. Religiosus autem, qui eam scienter solvit, in arctius Monasterium, ejusdem tamen Ordinis, detrudi debeat ad ibi agendum pœnitentiam cap. de regularibus h. t. & ratio est quia professus simoniace etiam scienter; est valide professus, ad sæculum ergo redire nequit; in loco autem commissi criminis, ne indignam facti memoriam renovet, permanere non debet; ergo ad arctius Monasterium est amandandus. Ita Suar. lib. 4. de Simon. cap. 57. num. 7. & Gonzal. ad dictum C. de regularibus num. 2.

Volunt tamen D. D. cum Suar. dicto lib. 4. cap. 61. num. 7. & Laym. cit. cap. ult. nu. 70. quod hæ pœnæ incurrantur post Judicis condemnationem, quodve, ut colligitur ex Textu cit. si scienter Simonia commissa fuerit, solus Papa dispensare possit, nisi necessitas postulet, ut Religiosus in eodem Monasterio permaneat, juxta Tex. in C. quoniam h. t. 38

Altera pœna pro Simoniaco Religionis ingressu infligitur ab Urbano IV. in Extrav. Sane §. nos enim h. t. quod nempe accipientes, & dantes, si sint personæ singulares, excommunicentur; si vero sit Capitulum, vel Cœtus aliquis, suspendatur, & utraque Censura Sedi Apostolicæ sit reservata. 39

CAPUT V.

De Simonia, quæ committitur circa Ecclesiastica Beneficia.

DUO in Beneficio Ecclesiastico sunt distinguenda: Jus nempe exercendi spiritualia, seu munera Ecclesiastica, quod proprie Officium dicitur, & Jus percipiendi redditus, seu emolumenta temporalia, quod vocatur Præbenda, vel Beneficium, unde vulgatum illud: Beneficium datur propter Officium: quamvis nunc totum complexum ex utroque Jure dicto resultans, beneficium Ecclesiasticum passim appelletur. 40

Certum est ergo in primis, quod Beneficium consideratum quoad Officium, seu Jus exercendi munus Ecclesiasticum emi, & vendi nequeat, quia quoad hoc consistit in potestate Spirituali, nempe vel administrandi Sacramenta, si sit curatum, vel obeundi Officia Divina, si simplex: 41

plex; & eodem modo certum est neque Beneficium vendi posse quatenus dicitur Jus percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis, quia etsi tales reditus secundum se spectati sint mere temporales, tamen quatenus spirituali titulo, & ministerio annexi sunt, quamdam spiritualitatem participant.

42 His præmissis quæstio est apud DD. utrum Simonia in Beneficiis Ecclesiasticis sit prohibita a Jure divino, vel a solo Jure Ecclesiastico. Prima sententia asserit esse prohibitam Jure Divino, ita ut neque Papa Beneficium vendens a Simonia excusari possit, Ita Abb. in cap. extirpandæ num. 53. & seqq. de Præb. & in cap. 1. num. 6. Et Gonzal. ad cap. cum Ecclesiæ h. t. num. 5. prope fin. Felin. in cap. 1. num. 2. h. t. & late Fagnan. in C. ex diligenti h. t. num. 3. & seqq. & in C. cum pridem de pact. a num. 42. ad 50. Sylv. in Summ. ver. Simonia qu. 12. dicto 6. & 7. ac plures apud Suar. lib. 4. de Simon. c. 24. nu. 7. & seq.

43 Secunda tuetur prohibitionem hanc esse solius Juris positivi humani: Ita Clar. in prax. §. Simonia nu. 5. Garz. de benef. par. 1. c. 2. num. 9. Less. de Just. & Jur. cap. 35. num. 26.

44 Tertia dicit in Beneficiis curatis prohibitionem hanc esse Juris Divini, secus in simplicibus, ut sunt plures apud Suar. l. c. num. 20.

45 Prima tamen verior & communior videtur, ac magis Sacror. Canon. dispositioni conformis.

46 Primo a Can. ex multis prima qu. 3. ubi Alex. II. Pont. ait, quod *Concilium Chalcedonense unum ex principalibus, simili pœna condemnat eos, qui Ecclesiæ Beneficium interventu pecuniæ acquirunt, & eos, qui sacram manus impositionem, per quam Spiritus S. confertur, mercari dignoscuntur.* Eos autem Jure Divino damnari non est qui ignoret; quinimmo referens inde exemplare Christi factum, qui ementes, & vendentes flagello armatus ejecit e templo, quorum alii erant columbarum venditores, alii nummularii, clarius ad casum nostrum subdit: *Sicut per columbarum venditores illi denotantur, qui sacram manus impositionem vendere conantur, sic per nummularios Ecclesiastici Beneficii venditores designantur, qui domum Dei, teste Evangelio, speluncam latronum efficiunt.*

Secundo, in Can. Salvator iisdem causa, & qq. Urbanus II. consultus, 47
an vendere Beneficia sit Simoniacum respondet affirmative, *cum hoc patenter colligatur ex hoc, quod B. Apostolus Petrus ait Simoni: pecunia tua tecum sit in perditionem, quia putasti donum Dei pecunia possideri; donum quippe Dei est Spiritus Sanctus, & donum Dei est res ipsi Ecclesiæ oblata*, prout bona Ecclesiastica, ex quibus fructus Beneficiorum percipiuntur.

Tertio: D. Gregor. relatus in can. 48
si quis iisdem Caus. & quæst. expresse dicit emptorem, vel venditorem Beneficii Ecclesiastici a Simonis perditione non excludi, idemque habetur in Can. 3. q. 1.

Quarto: in Cap. non satis h. t. di- 49
citur, quod hujus criminis in Beneficiis Ecclesiasticis rei, partem cum Simone habeant, & in cap. seq. eod. tit. dicitur, quod portionem cum Giezi se noverint habituros, quod utique dici non posset, nisi talia emere vel vendere esset a Jure divino damnatum in personis Giezi, & Simonis, ut optime advertit Card. Turrecr. in Can. latorem 1. q. 1. n. 9. vers. 5.

Quinto: in Cap. ex diligenti h. t. ex- 50
presse dicitur quod in Beneficiis *taliter*, idest Simoniace, *præstita divinis*, & humanis legibus contraire noscantur, in quo text. Fagnan. loc. supracit. late probat per ly *divinis* importari leges divinas, sicuti per ly *humanis* Canonicas, reprobans gloss. in v. *divinis*, quæ humanas leges intelligit civiles, quia leges civiles nequeunt disponere de hoc crimine Ecclesiastico, & consequenter Verbum *divinis* præcedens non potest intelligi de Canonicis, alias, ut ait Fagn. l. c. n. 5. in fin. *perinde esset ac si dixisset Textus, cum hoc Canonicis & Canonicis legibus noscatur contraire, & sic esset nugatoria oppositio.*

51 Probatur demum ratione, quia licet Jus percipiendi fructus sit per se quid temporale, tamen hoc in Beneficio est ita annexum officio Spirituali, & in eo fundatum, ut non possit alteri competere, quam clerico propter Officium & Ministerum Spirituale, quod exercere debet. tamquam stipendium ipsi debitum Jure naturæ, & divino: nam hoc ipso, quod Clericus divinis Officiis est mancipatus, habet Jus, ut ex bonis Ecclesiæ sustentetur; dignus enim est operarius mercede sua, ut habetur Matth. 10., & qui Altari servit de Altari vivere debet 1. ad Cor. c. 9. consequenter si vendatur Jus percipiendi redditus, venditur necessario etiam Officium Spirituale, propter quod tale Jus competit juxta Regulam allatam a Can. dicto si quis 1. q. 3. *Quisquis horum alterum vendit, sine quo alterum non provenit, neutrum invenditum derelinquit.*

52 Et ratio horum omnium est, quia licet Institutio Beneficiorum, & divisio Titulorum facta fuerit ab Ecclesia, postquam tamen facta fuit, dictæ res evaserunt Sacræ, & Spirituales formaliter, & essentialiter; Ideoque Jure divino vendi nequeunt, ut patet in vasis Sacris, & Sacramentalibus, ac supra jam a nobis dictum fuit.

53 Dices: In Sacra Scriptura non reperitur prohibita nisi venditio Sacramentorum & operatio miraculorum Actor. c. 8.

54 Respondeo falsum hoc esse, quia quando indefinite ait Christus Matth. 10. *quod gratis accepistis gratis date*, prohibuit venditionem omnium spiritualium, & gratis acceptorum, ut notat Turrecr. l. c. num. 9. in responsione ad secundam rationem.

55 Dices rursum. Quando spirituale, & temporale sunt annexa, translato temporali licet etiam spirituale transferre, ut patet in Jurepatronatus, quod transit in emptorem cum universitate Bonorum cui est annexum. C. ex litteris de Jurepatron. & in vasis sacris, quæ vendi possunt, dummodo non vendantur pluris ratione consecrationis: Ergo idem dicendum erit in Beneficiis, distinguendo Præbendam ab Officio spirituali.

Respondeo discrimen esse evidens, 56
nam vestes sacræ, & vasa sunt annexa antecedenter spiritualibus, quia præcedunt tempore Sacramentorum usum, a quibus secundum se, & suaptæ natura non pendent; ideoque secundum materiam vendi possunt, quin vendatur consecratio, quam materia absolute, & simpliciter præcedit. Ita Fundus præcedit Jus patronatum ipsi adhærentem, & ideo vendi potest eo non vendito, & ideo pariter solum terræ, in quo est Jus sepulturæ, quin tamen Jus vendatur, quia fundus, vel solum præcedit tale Jus sepeliendi; at vero Beneficium, seu Jus percipiendi fructus est posterius, & accessorium Officio Sacro, a quo pendet, & in quo fundatur, & propter quod unice datur, & sine quo dari non potest, ideoque vendi nequit, nisi etiam vendatur Officium Spirituale, cui est annexum. Ita Doct. Angel. 2. 2. quæst. 100. art. 4. in corp. Azor. parte 3. Inst. moral. lib. 12. cap. 11. quæst. 3. §. tertia sententia; quare nisi tale Jus temporale authoritate S. Pont. qui solus in beneficialibus habet supremam, & omnimodam potestatem, separetur ab Officio spirituali, cui est annexum, quo casu etiam Laico conferri poterit, non poterit vendi Officio Spirituali non vendito, cui est annexum, ut advertit Suar. l. c. num. 23. & Laym. dicto cap. ultim. num. 45.

Committitur ergo primo Simonia in 57
Beneficialibus, si pecunia vel aliud temporale exigatur pro beneficio conferendo, vel pro inductione, seu immissione in Beneficium collatum. C. cum in Ecclesiæ h. t. ubi etiam reprobatur consuetudo, idemque statuit Conc. Lateranense in C. audivimus h. t. ubi addidit, quod si quid per extorsionem & concussionem acceptum fuerit, duplicatum pretium restitui debeat in pœnam, & consonat Text. in C. ne Dei h. t.

Committitur secundo Simonia in Be- 58

neficialibus, si exigatur homagium pro obtinendo Beneficio C. ex diligenti h. t. ubi Alex. III. improbat ut Simoniam Divinis, humanisque legibus vetitam eam, quæ fiebat ab Archidiacono Cantuariensi, qui aridam Clerico quamvis certam pensionem super beneficiis constituebat, & ab eo exigebat juratum homagium, & fidelitatem: quare ab utraque obligatione eum absolvit, seu verius absolutum declaravit, cum tale Juramentum non obligaret, utpote quod servari non poterat sine dispendio salutis æternæ Gl. in dicto cap. verbo salutis, & ver. absolvimus, idemque de obsequio indebito, quod Simoniacum sit habetur in C. cum essent h. t.

59 Adverte homagium seu hominum differre a fidelitate, homagium siquidem præstatur Principi Supremo, Superiorem non recognoscenti, per quod aliquis fit subditus illius, & obligatur ad certa servitia: Fidelitas vero est, cum quis mere alteri promittit se illi futurum fore fidelem, & hæc pluribus etiam inferioribus præstari potest juxt. Abb. in C. cit. nu. 1. not. 1. & Jo: Andr. ibid. num 1. & 2.

60 Quare optime ait D. Gregor. relatus in Can. sunt nonulli 115. quæst. 1. *Cum virum justum Prophetæ describeret ait: Beatus qui excutit manus suas ab omni munere; non dixit solum a munere, sed ab omni munere, quia aliud est munus ab obsequio, aliud a manu, aliud a lingua. Munus ab obsequio est servitus indebite impensa, munus a manu pecunia est, munus a lingua favor.*

61 Nec officit, si dicas, quod etiam Clerici recipientes a Prælatis Beneficia eis munus ab obsequio, seu juramentum fidelitatis præstent, imo & homagium C. gravem de excess. Prælat.

62 Respondeo enim ibi homagium late sumi pro mera fidelitate, & obedientia, ut explicant ibi Glost. verb. homagii, & Abb. ad dictum cap. ex diligenti num. 4. ubi rationem diversitatis adducit inter fidelitatem, & homagium, quia homagium continet temporale commodum ejus, cui præstatur, nam qui efficitur ejus Vassallus, & obligatur ad servitia determinata, quæ pro Spiritualibus obtinendis citra Simoniæ labem præstari non possunt juxt. Gl. in dicto C. ex diligenti verbo obligatio: Juramentum vero fidelitatis, nihil aliud importat, quam fidelitatem præstandam Prælato; & ideo potius præstatur dignitati, quam personæ.

Subdes: quare igitur Alex. III. in 63
dicto C. ex diligenti absolvit illum Clericum ab homagio, & fidelitate erga Archidiaconum Cantuariensem?

Respondeo cum Abb. ibid. nu. 4. *Primo* ut puniretur Archidiaconus in eo, 64
in quo deliquerat, & cum indebite exegisset homagium, remitteretur etiam obligatio præstitæ fidelitatis.

Secundo, quia juramentum fidelitatis 65
præstari debet Episcopis, vel aliis quasi Episcopalem jurisdictionem habentibus, non vero inferioribus, ideoque nec Archidiacono, etiamsi illi ex privilegio, vel præscriptione certi beneficii collatio competeret.

Notandum tamen, non esse Simo- 66
niacum, qui inserviat Episcopo spe consequendi ab ipso Beneficium Ecclesiasticum, si sine omni pactione serviat, licet postea sequatur collatio, dummodo hac principali intentione non deservierit, nec Episcopus intendat conferre beneficium in compensationem servitii præstiti, & præstandi, quia tunc saltem committeretur Simonia mentalis utrinque, quæ tamen per pœnitentiam deletur gl. in C. cum essent h. t. ver. promiserat, ibique Abb. n. 4. & Sylv. ver. Simonia quæst. 16. dicto 4.

Notandum ulterius non esse Simo- 67
niam si Episcopus promittat se alicui certum stipendium daturum quotannis, donec ipsi contulerit beneficium Ecclesiasticum, quia promissio stipendii temporalis est facta ad tempus, non in perpetuum, & sub conditione, qua expleta, cessat obligatio. Abb. ibid. n. 5. Sylv. ibid. Azor. dicto lib. 11. qu. 2. Si autem obligaret Clericum ad inserviendum pro beneficio conferendo, vel collato beneficio remitteret stipendium, & temporale servitium a Clerico exigeret, Simoniam committeret, quia daret spirituale ob commodum temporale juxt. Azor. loc. cit.

68 Tertio Simoniacum est, si Clericus bona sua donet Ecclesiæ cum pacto, ut recipiatur in Canonicum, & illa durante vita sibi retineat pro præbenda, secus si hoc fiat sine pacto C. tua nos h. t. ubi tamen subdit Innoc. III. quod in foro fori, si pactum absit, Simonia non erit, quia Ecclesia non judicat nisi de manifestis, si autem qui donat, ea intentione ducatur, ut per donationem temporalium valeat spiritualia adipisci; & qui confert spiritualia non contulisset, nisi prius recepisset temporalia, uterque apud Deum fit culpabilis: ratio est, quia ut ait Text. *in talibus omnis pactio, aut conventio cessare debent.*

69 Adverte igitur, quod fundare, vel dotare Capellaniam, aut beneficium cum pacto, ut illud sibi conferatur, Simonia sit, quare Fagn. ad dictum cap. sub nu. 4. testatur, se consuluisse Simoniacum esse contractum, quo quis ex bonis suis patrimonialibus erexerat Archipresbyteratum in Cathedrali cum reservatione Jurispat. eo pacto adjecto, ut posset se ipsum præsentare, & non alias, & talem Clericum novam erectionem a Sede Apostolica, & a S. Me. Urban. VIII. obtinuisse: quia sicuti nihil temporale dari potest pro collatione beneficii, aut institutione, ita nec pro præsentatione, ut late probat Lambertin. de Jurepat. in 2. parte lib. 1. in 9. quæst. art. 11. num. 1.

70 Adverte secundo, quamlibet pactionem in spiritualibus esse Simoniacam, ut in text. nisi sit conditio, quæ de Jure approbetur, puta confero tibi beneficium, si resederis, si solveris pensionem illi impositam &c. Cravett. Cons. 145. num. 4. & Gemin. cons. 84. num. 4.

Adverte tertio, quod si aliquid spon- 71
te offeratur a Beneficiatis in ingressu, & institutione, Simonia non committitur juxta text. nostrum, dummodo absit omnis pactio, quia ut dicitur in C. dilectus il 2. hoc tit. *illud tamen gratanter recipi poterit, quod fuerit sine taxatione gratis oblatum.*

Advertit tamen Hostiens. ibi caven- 72
dum esse, ne fraus sub specie talium munerum committatur, ita ut actus sint inter se correspectivi; facile enim mentalis Simonia in similibus intervenire potest, & addit: *Quod gratanter recipiunt satis est mihi certum: sed an gratis offerant non est notum*, & opinionem Hostiensis tamquam tutiorem, & honestiorem amplexata fuit Synodus Trid. sess. 24. cap. 14. de ref. ubi detestata fuit conditiones, deductiones ex fructibus, solutiones, promissiones, compensationes illicitas, aut Turnor. lucra, quæ in aliquibus Ecclesiis ex earum statutis, aut prava consuetudine interponuntur in electione, præsentatione, nominatione, institutione, confirmatione, collatione vel alia provisione, sive ad possessionem alicujus Cathedralis, seu beneficii, mandans Episcopis, ut quæcumque huiusmodi in pios usus non convertuntur, atque eos ad beneficia ingressus, qui Simoniacæ labis, aut sordidæ avaritiæ suspicionem habent, fieri non permittant, quam Conciliarem dispositionem confirmavit S. Pius V. in sua Bulla incipiente: *Dum nimis*: Bullar. tom. 2. pag. 310.

Quinimo idem Trident. sess. 21. c. 73
1. de ref. prohibuit Episcopis, aut eorum ministris nihil quovis prætextu accipere etiam sponte oblatum pro collatione quorumcumque Ordinum, nec non pro litteris dimissoriis testimonialibus, nec pro sigillo, nec alia quacumque de causa, quæ tamen exigerentur, Simoniam non induceret, si omnis abesset pactio, sed dantes, & recipientes inciderent in pœ-

pœnas a dicto Decreto Synodali inflictas. ut firmat Fagn. in C. tua nos h. t. num 30. in fin.

74 Adverte quarto, juxta Text. ibi: *rogans humiliter*, non esse vetitum, nec ambitiosum, si quis roget humiliter, ut sibi conferatur beneficium, dummodo id non sit de majoribus, puta Episcopatus, quia ut ait D. Chrysost. hom. 35. in Matth. *Opus quidem desiderare bonum, bonum est; Primatum autem honoris concupiscere, vanitas est: primatus enim fugientem se desiderat, desiderantem se horret*; Et ita explicat locum illum Pauli I. ad Timoth. 3. *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat* D. Thom. 2. 2. quæstion. 185. art. 1. Quare Abb. in dictum Text. tua nos notab. 1. ait, parva xenia, vel munuscula, quæ dantur ordinatori, seu consecratori, aut aliis potentioribus, quamvis in iis dandis adsit secundaria spes Beneficii obtinendi, non inducere Simoniam punibilem in foro externo, quia Ecclesia Romana non consuevit interpretari recipientem, vel donantem in his delinquere, ut ait text. in C. etsi quæst. h. t. & de facto Clemens VIII. in sua Bulla de largitione munerum excipit esculenta, & poculenta, & ad devotionem, vel Religionem pertinentia munuscula.

75 Qua fortasse ratione moti dixerunt Less. de Just. & Jur. lib. 2. cap. 21. n. 11. & Pirring. In Jus Canon. lib. 5. tit. 3. sect. 6. §. 3. in fin. Simoniacam non videri consuetudinem quæ in Cathedralibus, & Collegiatis Germaniæ recepta est, ut novi Canonici nationali more Convivium dare, imo in quibusdam locis certam pecuniæ Summam Capitulo persolvere soleant, quod etiam extra Germaniam, & in Italia alibi practicatur.

76 Jam autem quæres primo an liceat date pecuniam in Electione Canonica, ut ab injusta vexatione quis desistat?

77 Respondeo cum distinctione magistraliter allata a D. Tho. 2. 2. qu. 100. art. 2. ad 5. Antequam alicui acquiratur Ius in Episcopatu, vel Dignitate Ecclesiastica, Simoniacum est talem pecuniam solvere, sic enim per pecuniam parat eligendus sibi viam ad rem Spiritualem, & hoc casu tenetur dimittere Beneficium acquisitum juxta Text. litteralem in C. Matthæus hoc tit. Postquam vero quis Jus perfecte acquisivit, licitum est, & in hoc sensu Baronius ad an. 690. litera D. defendit D. Gregorium, qui pecuniam solvit Mauritio Imp. pro sui confirmatione: *Etenim* (ait historicus præfatus) *Electio, ut dictum est, legitime facta illi contulit Pontificatum, non Imperatoris confirmatio tyrannice usurpata, quæ pecunia licite redimi potuit, cum non redimeretur ea Pontificatus, sed executio muneris eo modo, quo aliter liceret ab illata vexatione se liberando*; Et in hoc sensu procedit illud Pauli ad Ephesios 5. *redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.*

78 Quæres secundo, an Electio, præsentatio, collatio, seu quævis alia provisio, aut promotio ad quodvis Beneficium Ecclesiasticum facta Simoniace sit nulla ipso Jure Ecclesiastico?

79 Respondeo affirmative cum D. Tho. ibid. art. 6. in corp. & ad 3. & quidem si electus, aut promotus sciverit, aut non contradixerit, liquet ex dicto cap. Matthæus: si autem inculpabiliter ignoraverit, est cassanda promotio, non autem ipso Jure nulla c. ex insinuatione & C. nobis eod. quia nulla pœna censetur ipso Jure imposita, nisi Jure id caveatur gl. 2. in cap. fin. de Jurep. Ita Navar. cons. 95. & Fagn. in dicto C. nobis nu. 3. & duob. seqq.

80 Advertendum ex dicto cap. nobis, electionem esse Simoniacam, si vel omnibus electoribus, vel uni pecunia promittatur, etiam ignorante electo, ut ibi notant Hostiensis in principio Jo: And. num. 1. Ancharan. in 2. not. Abb. Jo: de Anan. & Marian. Soccin. in

in 1. notab. & Rot. Cor. Seraph. dec. 516. num. 1.

81 Hoc autem videtur mirabile Abbati l. c. quia interventus unius excommunicati ad electionem ignoranter admissi non vitiat electionem per text. in C. fin. de Procurat.

82 Ratio tamen diversitatis verior inter unum, & alium casum affertur a Fagn. in dicto C. nobis num. 4. quia Votum excommunicati non est nullum propter delictum circa electionem commissum, & ideo in illam non influit, nec nocet ignorantibus, & votum Simoniaci est infectum ob vitium quod intrinsece inest electioni, cujus est pars: unde nil mirum, si totam massam electionis corrumpat, veluti distinguit Jo: de Anan. nu. 1. Vitium excommunicati est personale; vitium vero Simoniæ quodammodo dici potest vitium reale, & magis actum respicit, quam personam.

83 Quæres tertio quid sit Simonia confidentialis?

84 Respondeo eam ita dici a spe, & fiducia, quæ ei subest, & damnatam esse a Pio IV. in Bulla incipientem Romanum Pontificem, & a S. Pio V. in Bulla incipiente Intolerabilis, & tunc committi, cum quis alicui procurat Beneficium, quodcumque illud fuerit, vel simplex, vel curatum, vel quodvis aliud juxta Laym. dicto C. ult. §. 8. num. 74. & Suar. l. c. cap. 43. num. 4. vel resignando illud in ejus favorem, vel etiam præsentando, eligendo, confirmando, postulando, aut in commendam dando cum certa confidentia, idest cum pacto expresso, vel tacito, ut is, cui procuratur illud Beneficium, post aliquod tempus elapsum, ipsimet cedenti, resignanti, instituenti &c. vel alteri resignet, vel pensionem, aut fructus ex eo præstet.

85 Notandum primo, hanc Simoniam non committi in permutatione Beneficii, quia permutatio est mutua resignatio, Bullæ autem loquuntur de renunciationibus simpliciter factis in favorem tertii; si vero Episcopus; qui talem permutationem admittit, participatur cum permutantibus de parte fructuum v. g. consanguineo suo pendenda, hanc utique Simoniam committeret. Videte Laym. loc. cit. Suar. ibid. num. 11. & Navarr. l. 5. cons. 77. hoc tit.

Notandum secundo, tripliciter Simoniam hanc committi posse: per accessum, per regressum, & per ingressum. Per accessum v. g. si quis cupiens Titio conferri Beneficium; qui tamen ejus sit incapax, vel ob ætatis defectum vel aliud temporale impedimentum, conferat, vel resignet alteri Beneficium, quod habet cum pacto, ut cessante impedimento Titius illud Beneficium obtineat, & propria auctoritate accipere possit. Per regressum, puta, si quis Beneficium cedat alteri, reservato sibi ex pacto Jure redeundi ad illud, si resignatarius, vel cessionarius præmoriatur, aut Beneficium dimittat. Per ingressum denique ex causa, si quis Beneficium sibi collatum, sed cujus adhuc non acquisivit possessionem, illud alteri cedat cum pacto, ut si is præmoriatur, vel illud deserat, possit resignans propria auctoritate illius capere possessionem: Quicumque igitur his modis Beneficia cedit, vel resignat sine approbatione S. Pontificis, sed coram Ordinariis locorum, Simoniace, & irrite contrahit. Quare Trid. sess. 25. cap. 7. de ref. reprobavit, & vetuit hujusmodi accessus, & regressus ad Beneficia, cum præseferant imaginem hæreditariæ successionis, Pontificum Decretis & Sacris Canonibus exosæ adeo, & invisæ: quæ est ratio, cur Pontificiæ Constitutiones hujusmodi confidentiam in Beneficiis prohibuerint. 86

87 Quæres quarto quænam pœnæ incurrantur ob Simoniam confidentialem?

88 Respondeo primo, Episcopi, & alii Prælati superiores interdictum ab ingressu Ecclesiæ, Prælati vero inferiores

res, & Clerici excommunicationem incurrunt S. Pontifici reservatam.

89 Secundo, talis provisio est invalida, & renuncians fit inhabilis ad dictum Beneficium obtinendum.

90 Tertio, Simoniacus confidentialis privatur omnibus beneficiis, & pensionibus prius obtentis, & fit inhabilis ad quævis alia obtinenda; quamvis ad hanc pœnam incurrendam requiratur sententia declaratoria criminis.

91 Quarto, Beneficia ita Simoniace collata reservata sunt Sedi Apostolicæ, & fructus eorum interim male percepti Cameræ Apostolicæ applicantur.

CAPUT VI.

De Pretio Simoniaco.

92 CErtum est apud omnes malitiam Simoniæ sitam esse in commutatione *rei temporalis* cum spirituali, inter quas nulla dari potest proportio, & ideo esse contractum onerosum, & reciprocum, & in eo pretium requiri, accipiendo pretium lato modo pro quavis re pretio æstimabili; nec sufficere, quod detur pretium utcumque, sed requiri quod illud solvatur in compensationem & quasi appretiationem ejus quod datur, ut denotat ipsa vox *pretium*.

93 Quæres ergo primo, quid perpendi debeat, ut dignoscatur, an munus temporale habeat rationem pretii Simoniaci?

94 Respondeo, de hoc agi in C. etsi quæstiones h. t. ubi dicitur in accipiendis hujusmodi muneribus tria attendenda fore: qualitas personæ dantis, & accipientis: quantitas muneris: & tempus donationis.

95 Et primo, qualitas personarum, nempe a quo, & cui, videlicet an a paupere diviti, vel a divite pauperi, vel a divite diviti datum fuerit: quantitas muneris, ideſt an res magni, vel parvi valoris: & tempus donationis, scilicet an instante necessitate, vel alio tempore, an ante vel post acceptam rem spiritualem.

Collige ex hoc cap. ex circumstantiis dijudicandum fore, an temporale, quod datur pro spirituali, detur gratis, vel ex pacto tacito, aut expresso a Jure improbato, & primo, ex qualitate dantis, vel recipientis, v. g. an sit dives, vel pauper, quia munus, quod collatum pauperi erit notabile, collatum diviti levissimum erit, nec aptum movere animum conferentis. Gl. in dicto C. ver. muneribus: vel etiam spectandum est, si inter dantem, & accipientem intercedat vinculum amicitiæ, aut consanguinitatis, quod facit præsumere liberalem donationem, vel etiam honestas, & integritas morum respectu utriusque, ut advertit Suar. l. c. cap. 36. num. 12. 96

Secundo, consideranda est circumstantia quantitatis, quæ si magna sit, facit præsumere delictum, si modica, pro nihilo reputatur, quia ut dicit Text. Ecclesia Romana non consuevit interpretari recipientem in his delinquere, vel donantem; contra vero si magna fuerit, quia nemo præsumitur velle suum prodigere. L. cum de indebito ff. de probat. Si vero mediocris fuerit, tunc attendenda erit qualitas dantis, & recipientis.

Tertio, attendi debet circumstantia temporis, sive occasio donationis; nam si donetur res in necessitate, qua indiget recipiens dicta re, censetur ea data potius ad subveniendum necessitati, quam ad malum finem. Abb. in dicto cap. etsi quæstiones num. 3. Rursus advertendum est, an res temporalis detur ante receptionem spiritualis, vel in ipsa receptione, aut incontinenti post receptionem; si enim ita datur, facilius præsumitur data ad movendum animum recipientis, ut rem spiritualem conferat. Can. emendari 1. qu. 1. & Can. sicut 1. qu. 2. ut enim dicitur in C. in tantum h. t. *expressius exprimit venditionis speciem, qui prius* 97

prius recipit pretium, quam rem conferat pretiosam. Si vero detur post receptionem ex intervallo, facilius præsumitur dari ex mera gratitudine, & liberalitate, dicto Can. sicut, & Can. 2. 1. quæst. 2.

98 Quæres secundo, quotuplex sit hoc pretium Simoniacum?

99 Respondeo, jam dixisse superius triplex esse, nempe munus a manu, a lingua, & ab obsequio Can. Ordinationes, & Can. sunt nonnulli 1. quæst. 1. & Can. Salvator 1. qu. 3. & D. Thomas dicta qu. 100. art. 5.

101 Nomine autem muneris non accipitur hic donum gratuitum, sed debitum justitiæ commutativæ, quod ex vi conventionis mutuæ, & onerosæ præstari, & exigi solet, in quo sensu munera etiam sumuntur a Jure Civili pro Tributis, & obsequiis Principi debitis ad Tit. ff. de muner. & honor.

102 Nomine muneris a manu venit primo pecunia numerata, vel data, vel promissa C. de hoc C. cum essent, & C. nobis hoc tit. Secundo, quævis res pretio æstimabilis, mobilis, immobilis, corporalis, aut incorporalis, ut Jura, census &c. Can. totum 1. qu. 3. C. etsi cit. & C. in tantum h. t. 3. Tertio remissio debiti, vel promissio remissionis ejusdem, quia res spiritualis non datur gratis, sed sub pacto recipiendi commodum temporale cap. veniens de testibus. Quarto, datio mutui facta sub pacto recipiendæ rei spiritualis. Less. l. c. cap. 20. num. 64. & Suar, ibid. cap. 38. nu. 7. & deducitur ex L. quisquis C. si certum petatur. Ratio est, quia quamvis mutuum non pluris æstimetur quam ipsa sors mutuata, tamen temporale quoddam commodum, quod ex præsenti numeratione pecuniæ provenit recipienti, non potest dari, vel commutari cum re spirituali, & demum promissio, vel executio dilatæ, aut anticipatæ solutionis ex pacto conventa, quia in illis continetur mutuum virtuale juxta Suar. l. c. num. 9.

Munus ab obsequio comprehendit servitia temporalia alicui præstanda sub obligatione seu pacto conferendi rem spiritualem, puta si quis Episcopo sine salario deserviret sub promissione habendi Beneficium, secus vero si solam spem habeat illius assequendi, ut alibi diximus. 103

Munus a lingua importat laudes, commendationes, & preces, quæ pro aliquo interponuntur, & quidem ex vi pacti expressi, vel taciti, ut vicissim detur res spiritualis; puta si Episcopus promitteret alicui Beneficium, si pro ipso apud Principem intercedat vel eum commendet. Suar. l. c. cap. 40. num. 12. & Less. cap. 35. nu. 118. Quare si sine pacto ad preces, vel intercessionem alicujus res spiritualis conferatur, Simonia non committitur, quinimo hoc a Jure est expresse approbatum, nam D. Greg. in Can. latorem 1. qu. 1. fatetur se ad cujusdam Episcopi intercessionem Acolytum ordinasse, & in C. tua nos h. t. quod humiliter rogans, admitti possit in Canonicum: *absque scrupulo Simoniacæ pravitatis*. 104

Nec obstat Text. in Can. ordinatione 1. quæst. 1. ubi dicitur ordinationes factas interveniente pretio, vel precibus falsas esse. 105

Respondeo enim dici quidem falsas, sed non Simoniacas, & ibi agi generaliter de modis illicitis Ordines conferendi, vel de interventu precum prævio pacto conferendi Ordines, & eodem modo intelligendus est Canon pueris iisdem caus. & quæst. in quo dicitur, quod nulla sit in ordinatione venalitas, potentia, vel supplicatio personarum. 106

Infer ex his, quod conferre Beneficium consanguineo non sit Simonia juxta D. Thom. loc. cit. art. 5. ad 2. quia Beneficium datur gratis, nec a consanguineo dans recipit aliquid temporale loco pretii, quamvis si consanguineus præferatur digniori, sit injusta collatio, non tamen erit Simoniaca C. unic. ut Eccles. Benef. sine dimin. confer. 107

108 Infer ulterius non esse Simoniam, si Episcopus conferat Beneficium suo debitori timore amittendi debitum, vel ut illud facilius consequatur, dummodo non adsit ullum pactum, per quod nova obligatio debitori imponatur majoris securitatis in futurum, quia tunc Simonia fieret imposito novo onere pretio æstimabili, Ratio est, quia collator gratis confert Beneficium, & solum petit quod suum est, sive quod ipsi ex præcedente contractu liquido est debitum, ita Suar. l. c. cap. 37. nu. 18. & Laym. dicto cap. ult. §. 3. num. ultimo.

CAPUT VII.

Quinam in crimine Simoniæ accusare possint.

109 DIco primo, quilibet Catholicus etiam criminosus, & infamis, quinimo servus contra Dominum, & etiam mere meretrix admitti potest ad accusandum de crimine Simoniæ ob criminis gravitatem, C. si dominus, & C. tanta h. t. quare a contrario Judæus, & Infidelis non admitteretur ad accusandum in hoc delicto juxta DD. communiter ad dictum C. si dominus.

110 Dico secundo, Monachi possunt de Simonia accusare Abbatem suum, & contra ipsos non admittitur alia exceptio, quam inimicitiæ capitalis, vel conspirationis. C. licet Heli h. t. quia hoc crimen ob sui atrocitatem hæresi æquiparatur, in qua idem definitur, a C. filii de hæret. in 6.

111 Hic tamen Text. in C. licet Heli melius declaratur ab eodem Innoc. III. in C. per tuas hoc tit. in quo distinxit plures casus quoad testes criminosos admittendos ad accusandum de Simonia.

112 Primo enim dixit, videndum esse an agatur contra Prælatum civiliter, vel criminaliter, idest vel ad effectum illum amovendi ab administratione, vel puniendi pœnis condignis huic delicto; si enim agatur criminaliter, testes criminosi non admittuntur indifferenter, nisi in casibus expressis a Jure, juxta Abb. in dicto cap. licet Heli num. 10. & 21. puta si Simoniacus esset etiam hæreticus credens gratiam Spiritus S. emi, vel vendi posse; secus vero si agatur civiliter.

Secundo, etiam si agatur civiliter, advertendum est, an Prælatus, 113
qui accusatur sit Sæcularis, vel Regularis altioris gradus, puta Episcopus, quia contra hos testes criminosi facile non admittentur, nisi sint emendati de crimine: secus vero si accusatus sit Prælatus Regularis non Episcopus, graviter de Simonia infamatus.

Tertio, distinguendum est circa qua- 114
litatem testium criminosorum, utrum nempe sint emendati de crimine, vel in eo perseverent, & an zelo justitiæ, vel ex malignitate aut odio depositionis credantur.

Quarto, videndum est de criminibus, 115
quæ testibus, vel accusatoribus subjiciuntur, an nempe sint minora, majora, vel æqualia.

Quinto, utrum sola testium dicta producantur, an alia etiam adminicula, seu præsumptiones, quæ augeant fidem testibus, quia sine his testes viles non sunt audiendi in crimine Simoniæ.

Quare collige primo: si testes cri- 116
minosi sint emendati, facient plenam probationem, secus si non fuerint emendati, nisi adminicula concurrant juxta Abb. in dicto C. per tuas nu. 5. & 13.

Collige secundo, quod perjurus et- 117
iam emendatus non admittatur in crimine Simoniæ, quia præsumitur, quod iterum pejeraret gl. in dicto C. per tuas verb. furto, & verb. emendati, & Abb. num. 10.

Collige tertio, si testibus objician- 118
tur majora, vel minora crimina, non denegatur per hoc illis facultas in hoc crimine deponendi, sed minor fides adhibetur. gl. hic verbo an paria, & Abb.

& Abb. num. 9. si autem æqualia, ut alia Simonia, non admittuntur, quia socius criminis non admittitur, si agatur criminaliter. C. veniens de testibus, & gl. in dicto C. per tuas verbo vel majora.

119 Collige quarto, contra Prælatos Regulares non solum remitti in parte ordinem Juris, sed etiam fieri aliqualem justitiæ remissionem, quia sine scandalo etiam ex levioribus causis removentur ab administratione, quam Prælati Sæculares juxta C. dictum, ibique Abb. num. 4. in fine, & Marian. Socin. num. 13.

120 Collige demum, quod licet hoc crimen probetur sicut alia, nempe vel per confessionem Simoniaci, vel per testes, vel per Instrumenta, seu documenta authentica, & legitima juxta Mascard. de probat. concl 1305. & Redoan de Simon. parte 4. c. 6. n. 1. & seqq. tamen utpote in crimine excepto, & gravissimo, sufficiant leviores probationes, etiam per signa, conjecturas, & præsumptiones, idque in odium ipsius delicti, C. sicut hoc t. & etiam quia crimen hoc est difficilis probationis, utpote quod occulte committi solet juxta Redoan. l. c. n. 31. & seq. requiritur tamen, ut signa, & indicia sint evidentia, ita ut violentam præsumptionem faciant, & quod plene probentur, alias non sufficient ad reum condemnandum, gl. fin. in C. insinuatum h. t. Mascard. l. c. concl. 1034. n. 27. & 33. Clar. §. Simonia num. 12.

121 Jam autem dico ultimo: accusatus de Simonia interim suspenditur a celebratione Missæ. C. accusatum, & C. quoties hoc t. & licet reus accusatus de crimine, dum causa discutitur, non privetur juribus sibi competentibus C. 4. de accusat. tamen id limitatur in hoc delicto ob sui enormitatem, de quo infamatus suspenditur etiam Judicio pendente a Missarum celebratione.

122 Advertit tamen Fagn. ad dictum cap. accusatum nu. 9. hoc hodie procedere post Constitutionem Marrini V. adevitanda, editam in Concilio Constantiensi quoad publice denunciatum Simoniacum per Sententiam hominis, alias enim non dicitur vitandus, ut alibi diximus sub titulo de Schismaticis.

CAPUT VIII.

De pœnis Simoniæ.

DIco primo, pro Simonia mentali nulla pœna a Jure est imposita, quia illa habet solum Deum ultorem, qui est scrutator cordium, & cognitor secretorum cap. ult. h. t. & D. Tho. l. c. art. 6. 123

Dico secundo, pro Simonia mere 124
conventionali vicissim non impleta nulla pœna Juris positivi ipso facto incurritur, excepta Simonia confidentiali de qua jam dictum fuit; ratio est, tum quia Sac. Can. semper loquuntur, ad effectum *incurrendi* pœnam, de actu perfecto, & consummato, tum quia leges pœnales, & præsertim gravissimæ, utpote odiosæ restringi debent, ita ut non incurrantur præterquam actu perfecto, nisi contrarium in Jure exprimatur. Ita Navarr. in Man. c. 23. n. 104. Less. l. c. c. 35. n. 149. Suar. l. c. cap. 55. n. 10. & seq. Layman dicto cap. ult. §. 7. nu. 68. & ita de Stylo Curiæ testatur Garzias de benef. parte 8. cap. 1. nu. 28. & seq.

Dico tertio, propter nullam Simo- 125
niam realem, & utrimque completam incurruntur ipso facto pœnæ Juris præter illam, quæ committitur in ingressu Religionis, Ordine, & Beneficio, quas SS. Pont. severius punire voluerunt, utpote frequentiores, & propter majus detrimentum, quod inferunt bono universali Ecclesiæ. Navarr. loc. cit. numer. 111. Less. ibid. numer. 130. Suar. cap. 55. num. 5. & Laym. ibid. num. 69. ideoque tales Simoniaci erunt puniendi ab homine, & arbitrio Judicis; quare cum

jam dixerimus de pœnis ſtatutis pro Simoniaco ingreſſu religionis, aliæ explicandæ ſuperſunt.

126 Dico igitur quarto, per Simoniam realem, & completam in Ordine, & in Beneficio Eccleſiaſtico, incurritur ipſo facto Excommunicatio Papæ reſervata, tam ab ordinantibus, quam ab ordinatis, tam a conferentibus, quam recipientibus Beneficia, mediatoribus, & procurantibus, ut ordo, ſeu Beneficium Simoniace conferatur, & ſive hi Simoniaci fuerint manifeſti, ſive occulti, injuncto inſuper præcepto id ſcientibus revelandi, non tamen ſub pœna Excommunicationis Text. eſt in Extravagan. 2. h. t.

127 Nomine autem Ordinum veniunt etiam minores, & prima Tonſura, quia etiam illa lato modo dicitur Ordo, cum ponat hominem in Ordine, & gradu Clericali juxta Barboſ. qui plures affert ad dictam Extrav. n. 8.

128 Dico quinto, ut dicitur in dicta Extrav. *Beneficii collatio* Simoniace facta eſt nulla, nec Beneficiatus facit fructus ſuos, ut diximus in cap. nobis h. t. & dicto Beneficio eſt privandus, aliiſque etiam prius obtentis Can. presbyter 1. quæſt. 1. C. ſicut, & C. de hoc h. t. ſed nonniſi per ſententiam condemnatoriam Judicis, ut communiter DD. ad Textus prædictos, ac præſertim Lotter. de re benef. lib. 3. quæſt. 29. num. 161. & Gibalin. de Simon. quæſt. 25. nu. 3. ac juxta Bullam S. Pii V. incip. *cum primum* inter ſuas quintam §. 8. redditur inhabilis ad alia obtinenda, quod tamen pariter DD. intelligunt poſt ſententiam condemnatoriam Judicis, vel ſaltem declaratoriam criminis. Ita Navarr. Conſ. 92. nu. 10. & Suar. l. c. cap. 58. n. 10. & 11.

129 Dico Sexto, conferens Simoniace Ordines ſaltem per triennium ipſo facto eſt ſuſpenſus ab eorum collatione, & ita ordinatus ab illorum exercitio, donec a Sede Apoſtolica diſpenſationem obtinuerit C. ſi quis h. t. & C. per tuos eod.

Verum poſt Bullam Sixti V. incipientem Sanctum, & ſalutare, ordinans Simoniace eſt ſuſpenſus ipſo Jure a collatione omnium ordinum, etiam primæ Tonſuræ, & ab exequutione munerum Pontificalium, & ingreſſu Eccleſiæ, & reſervantur hæ cenſuræ Sedi Apoſtolicæ, quamvis Simonia ſit occulta, & poſt Extr. 2. h. t. ordinatus Simoniace eſt ſuſpenſus ab omni Ordine etiam non Simoniace ſuſcepto donec a Papa fuerit abſolutus ibi: *omnes illi, qui ſimoniace ordinati fuerint, a ſuorum Ordinum exequutione ſint ſuſpenſi.* 130

Quod ſi quæras an hæc ſuſpenſio incurratur ab ordinato Simoniace, ſed ignoranter, & quidem ignorantia excuſabili. 131

Reſpondeo, dupliciter hoc contingere poſſe. Primo, ſi quis ſuſceperit ignoranter Ordines ab Epiſcopo ſuſpenſo, quia peccaverat Simoniace in alia Ordinum Collatione. Secundo, cum ignorante ordinato, alius, puta amicus, vel conſanguineus, Epiſcopo, Examinatori aut alii Miniſtro pecuniam dedit pro ipſa ordinatione. In primo caſu ordinatus erit ſuſpenſus, niſi cum ipſo Sedes Apoſtolica miſericorditer diſpenſaverit, quod facere ſolet pro temporis, aut Eccleſiæ neceſſitate, ut liquet ex Can. Statuimus, & Can. ſi qui 1. quæſt. 1. & D. Greg. lib. 6. regiſt. epiſt. 39. ait: *Eos* tantum in Eccleſiæ Ordine recipi permiſit, ſi eorum vita irreprehenſibilis probetur; idemque ſtatuit Alex. II. in Synodo Romana Can. 3. apud Baron. an. 1063. & Bin. to. 3. Concil. parte 2. ibi: *eos, qui uſque modo gratis ſunt a Simoniacis ordinati, non tam obtentu juſtitiæ, quam intuitu miſericordiæ in acceptis ordinibus permanere permittimus, niſi forte alia aulpa ex vita eorum ſecundum Canones eis obſtat; tanta quippe talium multitudo eſt, ut dum rigorem Canonici rigoris ſuper eos ſervare non poſſumus, neceſſe ſit in diſpenſatione ad piæ condeſcenſionis ſtudium noſtros animos* 132

mos ad præſens inclinemus. Et ratio talis ſuſpenſionis eſt, quia cum nemo poſſit dare quod non habet l. nemo ff. de reg. Juris, & Can. nemo prima quæſt. 1. non immerito is, qui a Simoniaco, etſi non Simoniace ordinatur, tamquam ab illegitimo miniſtro præter intentionem agentis principalis cooperante, accepti gradus exequutione privatur.

133 Circa autem ſecundum caſum ſine ſua culpa Simoniace ordinati, ſed ab Epiſcopo non jam Simoniaco, verior opinio eſt Navarr. in Man. cap. 25. n. 68. & Suar. de Cenſ. diſp. 31. ſect. 4. nu. 41. quod hæc ſuſpenſio ab ita ordinato non incurratur. Ratio eſt, quia talis pœna impoſita eſt pro delicto: eo igitur ceſſante, & pœna ceſſare debet, & eſt Text. apertus in C. de Simoniaco h. t. ubi Luc. 3. ait: ita ordinato in ſuis poſſe ordinibus remanere, quia Simoniaci non ſunt.

134 Nec obſtat, quod in primo caſu proxime relato incurratur ſuſpenſio, quamvis ordinatus ignoret ordinantem eſſe Simoniacum, & ideo neque tunc ſit in culpa.

135 Reſpondeo enim, diſparitatem inter unum, & alium caſum eſſe, quia in primo caſu ſuſcipit ordines a Miniſtro ſuſpenſo, & ideo ut diximus, eorum exequutionem obtinere nequit, cum nemo dare queat id, quo caret; in ſecundo vero non ordinatur ab Epiſcopo jam ſuſpenſo, ſed qui per talem ordinationem fit ſuſpenſus, cum antea non eſſet; ergo potuit dare ordinato a ſe exequutionem ordinis quam habebat, quamvis ſimul ipſe illam amiſerit ſic ordinando. Quare in neutro caſu ordinatus peccat, ſed in primo a Miniſtro ſuſpenſo non poteſt recipere exequutionem ordinis, quam habebat, eſto contemporanee tali ordinatione peracta, ea & ipſe privetur.

136 Dico jam ſeptimo: Simoniacus deponendus etiam eſt perpetuo ab officio, & Miniſterio Altaris C. de hoc h. t.

137 Dico poſtremo. Qui Simoniace ſcienter Beneficium obtinuit, non juvatur regula Cancellariæ Apoſtolicæ de triennali poſſeſſione, cum in ea ſpecifice excipiatur illis verbis: *abſque Simoniaco ingreſſu.* Gomez. ad reg. Canc. q. 12. contra vero illa juvatur, ſi ignoranter Simoniace impetraverit. Redoan. de Simon. parte 4. c. 12. Ulterius debet reſtituere omnes fructus etiam conſumptos, & percipiendos, qui nempe poterant percipi a quolibet poſſeſſore, ſed ejus negligentia non fuerunt percepti. Hoſtienſis in ſum. ad rubric. de Simon. nu. 6. Redoan. l. c. parte 4. n. 42. Decian. tract. Crimin. lib. 5. cap. 87. n. 5. quia habetur loco prædonis, & tamquam violentus invaſor, cum nec habeat titulum coloratum Beneficium retinendi juxta Paris. de reſign. benef. lib. 4. quæſt. 2. num. 20. Si autem ignoranter Simoniacus fuerit, tenetur reſtituere tantum fructus extantes, & ante ſententiam perceptos, non vero conſumptos, niſi a die Sententiæ latæ, quia habetur tamquam poſſeſſor bonæ fidei uſque ad tempus prædictum C. de regularibus C. ex inſinuatione, & C. nobis h. t. & Gonzal. ad C. inſinuatum h. t. n. 6.

Quod ſi quæras quinam poſſit diſpenſare, ſeu relaxare pœnas a Jure Simoniacis inflictas. 138

Reſpondeo primo, quoad excommunicationem etiam in Simoniaco occulto, diſpenſare poſſe ſolum Papam, quia ita cavetur in dicta Extrav. 2. h. t. 139

Reſpondeo ſecundo, quoad rehabilitandum Simoniacum ad obtinendum beneficia in poſterum, vel recuperandum quod habebat, etiamſi Simonia ſit occulta, non poteſt diſpenſare niſi Papa juxta innumeros DD. apud Barb. ad Conc. Tr. ſeſſ. 24. c. 6. de ref. n. 22. 140

Cæterum ſecluſis dictis caſibus, in ſuſpenſione, quæ incurritur od Simoniam occultam, poteſt diſpenſare Epiſcopus ex diſpoſitione Trid. l. c. & Barboſ. ubi ſupra, qui n. 41. firmat delictum dici occultum uſque ad litis conteſtationem. 141

Scien-

jam dixerimus de pœnis ſtatutis pro Simoniaco ingreſſu religionis, aliæ explicandæ ſuperſunt.

126 Dico igitur quarto, per Simoniam realem, & completam in Ordine, & in Beneficio Eccleſiaſtico, incurritur ipſo facto Excommunicatio Papæ reſervata, tam ab ordinantibus, quam ab ordinatis, tam a conferentibus, quam recipientibus Beneficia, mediatoribus, & procurantibus, ut ordo, ſeu Beneficium Simoniace conferatur, & ſive hi Simoniaci fuerint manifeſti, ſive occulti, injuncto inſuper præcepto id ſcientibus revelandi, non tamen ſub pœna Excommunicationis Text. eſt in Extravagan. 2. h. t.

127 Nomine autem Ordinum veniunt etiam minores, & prima Tonſura, quia etiam illa lato modo dicitur Ordo, cum ponat hominem in Ordine, & gradu Clericali juxta Barboſ. qui plures affert ad dictam Extrav. n. 8.

128 Dico quinto, *ut dicitur in dicta Extrav. Beneficii collatio Simoniace facta* eſt nulla, nec Beneficiatus facit fructus ſuos, ut diximus in cap. nobis h. t. & dicto Beneficio eſt privandus, aliiſque etiam prius obtentis Can. presbyter 1. quæſt. 1. C. ſicut, & C. de hoc h. t. ſed nonniſi per ſententiam condemnatoriam Judicis, ut communiter DD. ad Textus prædictos, ac præſertim Lotter. de re benef. lib. 3. quæſt. 29. num. 161. & Gibalin. de Simon. quæſt. 25. nu. 3. ac juxta Bullam S. Pii V. incip. *cum primum* inter ſuas quintam §. 8. redditur inhabilis ad alia obtinenda, quod tamen pariter DD. intelligunt poſt ſententiam condemnatoriam Judicis, vel ſaltem declaratoriam criminis. Ita Navarr. Conſ. 92. nu. 10. & Suar. l. c. cap. 58. n. 10. & 11.

129 Dico Sexto, conferens Simoniace Ordines ſaltem per triennium ipſo facto eſt ſuſpenſus ab eorum collatione, & ita ordinatus ab illorum exercitio, donec a Sede Apoſtolica diſpenſationem obtinuerit C. ſi quis h. t. & C. per tuos eod.

Verum poſt Bullam Sixti V. incipientem Sanctum, & ſalutare, ordinans Simoniace eſt ſuſpenſus ipſo Jure a collatione omnium ordinum, etiam primæ Tonſuræ, & ab exequutione munerum Pontificalium, & ingreſſu Eccleſiæ, & reſervantur hæ cenſuræ Sedi Apoſtolicæ, quamvis Simonia ſit occulta, & poſt Extr. 2. h. t. ordinatus Simoniace eſt ſuſpenſus ab omni Ordine etiam non Simoniace ſuſcepto donec a Papa fuerit abſolutus ibi: *omnes illi, qui ſimoniace ordinati fuerint, a ſuorum Ordinum exequutione ſint ſuſpenſi.* 130

Quod ſi quæras an hæc ſuſpenſio incurratur ab ordinato Simoniace, ſed ignoranter, & quidem ignorantia excuſabili. 131

Reſpondeo, dupliciter hoc contingere poſſe. Primo, ſi quis ſuſceperit ignoranter Ordines ab Epiſcopo ſuſpenſo, quia peccaverat Simoniace in alia Ordinum Collatione. Secundo, cum ignorante ordinato, alius, puta amicus, vel conſanguineus, Epiſcopo, Examinatori aut alii Miniſtro pecuniam dedit pro ipſa ordinatione. In primo caſu ordinatus erit ſuſpenſus, niſi cum ipſo Sedes Apoſtolica miſericorditer diſpenſaverit, quod facere ſolet pro temporis, aut Eccleſiæ neceſſitate, ut liquet ex Can. Statuimus, & Can. ſi qui 1. quæſt. 1. & D. Greg. lib. 6. regiſt. epiſt. 39. ait: *Eos* tantum in Eccleſiæ Ordine recipi permiſit, ſi eorum vita irreprehenſibilis probetur; idemque ſtatuit Alex. II. in Synodo Romana Can. 3. apud Baron. an. 1063. & Bin. to. 3. Concil. parte 2. ibi: *eos, qui uſque modo gratis ſunt a Simoniacis ordinati, non tam obtentu juſtitiæ, quam intuitu miſericordiæ in acceptis ordinibus permanere permittimus, niſi forte alia culpa ex vita eorum ſecundum Canones eis obſtat; tanta quippe talium multitudo eſt, ut dum rigorem Canonici rigoris ſuper eos ſervare non poſſumus, neceſſe ſit in diſpenſatione ad piæ condeſcenſionis ſtudium noſtros animos* 132

mos ad præſens inclinemus. Et ratio talis ſuſpenſionis eſt, quia cum nemo poſſit dare quod non habet l. nemo ff. de reg. Juris, & Can. nemo prima quæſt. 1. non immerito is, qui a Simoniaco, etſi non Simoniace ordinatur, tamquam ab illegitimo miniſtro præter intentionem agentis principalis cooperante, accepti gradus exequutione privatur.

133 Circa autem ſecundum caſum ſine ſua culpa Simoniace ordinati, ſed ab Epiſcopo non jam Simoniaco, verior opinio eſt Navarr. in Man. cap. 25. n. 68. & Suar. de Cenſ. diſp. 31. ſect. 4. nu. 41. quod hæc ſuſpenſio ab ita ordinato non incurratur. Ratio eſt, quia talis pœna impoſita eſt pro delicto: eo igitur ceſſante, & pœna ceſſare debet, & eſt Text. apertus in C. de Simoniaco h. t. ubi Luc. 3. ait: ita ordinato in ſuis poſſe ordinibus remanere, quia Simoniaci non ſunt.

134 Nec obſtat, quod in primo caſu proxime relato incurratur ſuſpenſio, quamvis ordinatus ignoret ordinantem eſſe Simoniacum, & ideo neque tunc ſit in culpa.

135 Reſpondeo enim, diſparitatem inter unum, & alium caſum eſſe, quia in primo caſu ſuſcipit ordines a Miniſtro ſuſpenſo, & ideo ut diximus, eorum exequutionem obtinere nequit, cum nemo dare queat id, quo caret; in ſecundo vero non ordinatur ab Epiſcopo jam ſuſpenſo, ſed qui per talem ordinationem fit ſuſpenſus, cum antea non eſſet; ergo potuit dare ordinato a ſe exequutionem ordinis quam habebat, quamvis ſimul ipſe illam amiſerit ſic ordinando. Quare in neutro caſu ordinatus peccat, ſed in primo a Miniſtro ſuſpenſo non poteſt recipere exequutionem ordinis, quam habebat, eſto contemporanee tali ordinatione peracta, ea & ipſe privetur.

136 Dico jam ſeptimo: Simoniacus deponendus etiam eſt perpetuo ab officio, & Miniſterio Altaris C. de hoc h. t.

137 Dico poſtremo. Qui Simoniace ſcienter Beneficium obtinuit, non juvatur regula Cancellariæ Apoſtolicæ de triennali poſſeſſione, cum in ea ſpecifice excipiatur illis verbis: *abſque Simoniaco ingreſſu*. Gomez. ad reg. Canc. q. 12. contra vero illa juvatur, ſi ignoranter Simoniace impetraverit, Redoan. de Simon. parte 4. c. 12. Ulterius debet reſtituere omnes fructus etiam conſumptos, & percipiendos, qui nempe poterant percipi a quolibet poſſeſſore, ſed ejus negligentia non fuerunt percepti. Hoſtienſis in ſum. ad rubric. de Simon. nu. 6. Redoan. l. c. parte 4. n. 42. Decian. tract. Crimin. lib. 5. cap. 87. n. 5. quia habetur loco prædonis, & tamquam violentus invaſor, cum nec habeat titulum coloratum Beneficium retinendi juxta Paris. de reſign. benef. lib. 4. quæſt. 2. num. 20. Si autem ignoranter Simoniacus fuerit, tenetur reſtituere tantum fructus extantes, & ante ſententiam perceptos, non vero conſumptos, niſi a die Sententiæ latæ, quia habetur tamquam poſſeſſor bonæ fidei uſque ad tempus prædictum C. de regularibus C. ex inſinuatione, & C. nobis h. t. & Gonzal. ad C. inſinuatum h. t. n. 6.

Quod ſi quæras quinam poſſit diſpenſare, ſeu relaxare pœnas a Jure Simoniacis inflictas, 138

Reſpondeo primo, quoad excommunicationem etiam in Simoniaco occulto, diſpenſare poſſe ſolum Papam, quia ita cavetur in dicta Extrav. 2. h. t. 139

Reſpondeo ſecundo, quoad rehabilitandum Simoniacum ad obtinendum beneficia in poſterum, vel recuperandum quod habebat, etiamſi Simonia ſit occulta, non poteſt diſpenſare niſi Papa juxta innumeros DD. apud Barb. ad Conc. Tr. ſeſſ. 24. c. 6. de ref. n. 22. 140

Cæterum ſecluſis dictis caſibus, in ſuſpenſione, quæ incurritur od Simoniam occultam, poteſt diſpenſare Epiſcopus ex diſpoſitione Trid. l. c. & Barboſ. ubi ſupra, qui n. 41. firmat delictum dici occultum uſque ad litis conteſtationem. 141

142 Sciendum denique juxta veriorem opinionem, quam post D. Th. 2. 2. quæst. 32. art. 7. tenuerunt Navarr. ad hunc tit. conf. 15. Tholos. Syntagm. Jur. lib. 33. c. 13. num. 38. & Suar. dicto l. 4. de Simon. cap. 60. pretium Simoniace acceptum restituendum fore in foro conscientiæ etiam ante Judicis sententiam, quod etiam desumitur ex C. de hoc h. t. nam cum Ecclesia, imo ipsum Jus divinum hujusmodi conventionem, & pretii acceptationem omnino irritaverit, sequitur illud pretium retineri non posse, nec ejus dominium umquam in accipientem transferri, L. si non sortem ff. de condict. indeb. & L. cum lex ff. de fidejussor, ita ut ex hujusmodi prohibita conventione neque obligatio naturalis oriatur L. Juris gentium §. sed cum nulla ff. de pact. dictum vero cap. de hoc, asserit restitutionem pretii post sententiam faciendam fore Ecclesiæ, quod tamen DD. remittunt arbitrio Judicis Ecclesiastici, qui (quotiescumque Jus aliter non disponat) potest illud distribuere pauperibus, vel in alias pias causas erogare, Suar. l. c. n. 8. & Less. l. c. cap. 35. n. 171. qui volunt, quod ante sententiam Judicis teneatur accipiens ei, qui dedit, pretium restituere, cum accipiens non habuerit justum titulum accipiendi, sed injustum.

Et hæc satis dicta sint in primam partem Criminalium Institutionem.

Finis Primæ Partis.

PARS

PARS SECUNDA.

TITULUS PRIMUS.

De Crimine læsæ Majestatis.

1 EGimus in præterita parte de delictis mere Ecclesiasticis, nunc ad mere sæcularia est properandum, ad ea scilicet quorum cognitio, si a Laicis perpetrentur, spectat ad solum Judicem Laicum.

2 Primum horum est crimen læsæ Majestatis, quod describi potest: *Machinatio, seu conspiratio contra Vitam, dignitatem, seu potestatem Principis, vel alterius, cui Princeps talem concesserit potestatem.*

3 Jam vero cum Princeps sit, vel Ecclesiasticus, vel Sæcularis, & uterque illorum vel supremus, vel inferior, inspiciendum est contra quem Principem debeat hæc moliri conjuratio, ut hoc crimen committatur.

4 Primo igitur dubium esse nequit, quin conspiratio contra Papam facta hoc crimen sit, cum Pontifex Superiorem omnibus Principibus habeat Majestatem.

5 Et cum Cardinales sint pars corporis Pontificis, conspiratio etiam hujusmodi contra ipsos facta crimen est læsæ Majestatis.

6 In Legatos a latere pariter, Urbisque Vicarium, etiamsi (quod tamen esse non solet) Cardinales non essent, crimen hoc committeretur, sicuti committitur illud etiam in Episcopos, Archiepiscopos & Patriarchas.

7 Jam vero Principes sæculares, alii supremi sunt, alii inferiores. Supremi sunt Imperatores, Reges, & Respublicæ Regiam habentes Majestatem, ut Respublica Veneta, adversus quos procul dubio hoc delictum perpetratur, sicuti etiam fit contra eorum Oratores, Consiliarios, Militiæ præfectos, & Rectores Provinciarum, L. quisquis C. ad L. Juliam Majestatem.

Ex inferioribus autem Principibus, 8
alii sunt qui Superiorem non recognoscunt, alii qui recognoscunt.

Contra Superiorem non recognoscentes, ut essent Magnus Dux Hetruriæ, Resp. Genuensis &c. tale delictum 9
quoque committitur juxta receptam opinionem relatam a Farinac. de Crim. læsæ majest. quæst. 112. Insp. 5. a num. 190.

Contra Principes vero Feudatarios 10
alterius Principis, adeoque Superiorem recognoscentes committitur hoc delictum, dummodo duo concurrant. Primum quod propria Principis persona offensa sit. Secundum quod hujusmodi Principes habeant in subditos merum & mixtum Imperium, hoc est idem Jus in personas, & res subditorum, quod habent Imperator, & rex. Ita Farin. loco mox laud. num. 179. & 2. seqq.

Sed jam progrediamur ad modos, 11
quibus hoc crimen committitur. Horum primus est conspiratio, seu conjuratio in personam Principis facta, quæ duo differunt inter se, quod conspiratio sit plurium conventio, conjuratio autem est conventio plurium, juramento firmata, juxta Archid. in Can. Conjurationum 11. quæst. prima, & hæc conspiratio, vel conjuratio est crimen læsæ Majest. esto persona Principis læsa non fuerit: punitur enim ob sui gravitatem in hoc delicto solus delinquentis conatus, qui ad aliquem actum exteriorem devenerit, esto delictum non consummaverit, L. quisquis C. ad Leg. Jul. Majest.

Committitur etiam hoc crimen per 12
perduellionem, cujus reus est quicumque palam, & publice vivente suo

Prin-

Principe ejus Principatum affectat; dicti criminosi hi *Perduelles*, veluti ad duellum, seu bellum perfecte accincti, & parati teste Farin. tract. cit. qu. 113. Inspect. 8. num. 249.

13 Tertius modus, quo fit crimen de quo agitur, est rebellio, ac rebelles proprie dicuntur qui a Principe debellati, post præstitum illi Juramentum fidelitatis iterum contra ipsum arma sumunt, ideoque rebelles dicuntur, ac si redeuntes ad bellum.

14 Quartus modus est seditio ita dicta veluti *seorsim itio*, eo quia plures de exercitu, vel populo aliquo ab aliis dividuntur, & factiones varias faciendo, publicam quietem in damnum Principis, vel Reipublicæ tentant offendere, ac perturbare.

15 Ad essentiam autem seditionis requiritur quod præcedat tractatus de turbanda publica quiete, puta si quis ex condicto excitaret turbas in populo clamando: *fuora fuora*, vel *moriatur, qui Civitatem regit*, juxta Bart. in L. capitalium §. solent ff. de præd. Jas. cons. 167. col. 1. vol. 4. & Surd. Cons. 40. num. 37. lib. 1. non autem si accidentaliter, & ex alia causa privata tumultus eveniat. L. si quis ingenuam §. in Civilibus ff. de captiv. Gram. vot. 19. num. 2. Felin. in cap. fin. num. 2. de test. cog. etiamsi plures ad arma concurrerent, & clamatum fuerit, *fuoco, fuoco*, vel quid simile, ut in terminis respondit Raynald. in vot. posthum. vot. 93. & per tot.

16 Reus quoque est criminis læsæ Majest. qui usurpat Principis Jurisdictionem v. g. gerendo se pro Principe, vel Magistratu, cum non sit talis, morti aliquem tradendo, aut erigendo furcas, vel exercendo privatum carcerem, nam reorum custodia ad merum Principis spectat imperium L. un. Cod. de privatis carcer. vel a fortiori Leges, & Statuta condendo, & sic minuendo Principis potestatem. Consulite Farinac. loc. alias citato qu. 114. inspect. prima per tot.

Proditor etiam Principis, Patriæ, 17
vel Reipublicæ proprie delicti hujus compos est, ut esset miles sui domini Castra deserens, illiusque hostibus se adjiciens, L. 2. ad L. Juliam Majest. custos alicujus Arcis infidus, qui illam hostibus traderet, vel qui exercitum per insidias inimicis dissipandum committeret, L. 4. ff. tit. dicto vel qui per dolum, & fraudem fecerit, quominus Princeps suus victoriam contra hostes obineret; videte omnino dictam L. 4.

Frangens quoque Carceres publicos, 18
ex quibus rei ibidem detenti evaserint, vel frangens carcerem privatum, nempe Ostium alicujus Cameræ pro carcere a Principe destinatæ, criminis læsæ Majestatis reus evadit, sicuti pariter, arma, Instrumenta, homines, vel opem private, aut publice præstans ad eximendos reos a carceribus ad Text. in dicta L. 4.

Eripiens etiam de manibus familiæ 19
reum captum, vel impediens, ne capiatur, vel dans illi commoditatem evadendi, vel impediens exequutores Justitiæ, punitur ut reus læsæ Majestatis: eademque pœna mulctatur eximens se ipsum a familiæ manibus, si populum ad arma concitet, vel satellitibus cum armis resistat, illosque percutiat aut vulneret, aut ad sui auxilium protestetur se esse in aliqua franchisia, juxta Bullam quamdam Sixti V. incipientem. *Hoc nostri Pontificatus initio*.

Advertendum tamen, hujus Bullæ 20
pœnas locum habere adversus eximentes aliquem captum pro causa criminali: eximens enim captum pro debito civili, non pœna ordinaria, sed arbitraria Judici puniendus est, & insuper tenetur solvere creditori integrum debitum, quod illi tenebatur solvere debitor exemptus, non aliter, ac si pro ipso fidejussisset teste Farin. de carceribus, & carceratis quæst. 32. a num. 6. usque ad 14. inclusive.

Devastans pariter, vel deturpans 21
Principis statuas, aut insignia quomodolibet depicta, vel insculpta, crimen de quo sermo est certo committit, nec non famam, & honorem Principis iniquo calamo, vel ore dilacerans L. un. C. si quis Imperatori maledixerit.

22 Monetam pariter cudentes hujus criminis rei sunt, sed quia falsam fabricantes monetam, etiam crimen falsi committunt, ideo de hoc alibi sermo redibit; addentes autem ad Clar. §. læsæ Majest. num. 1. & seq. 45. modos adstruunt, quibus hoc crimen committi potest, ad quos vos remitto, satis ducens principaliores modos adduxisse nefarii hujus Criminis perpetrandi.

23 Rogabis autem a quibus hoc crimen læsæ Majestatis committi potest?

24 Respondeo ab illis tantum, qui illud patrant in Principem, cujus sint subditi, vel ratione originis, vel domicilii: satis enim non est, quod tantum ratione bonorum ejus ditioni subjaceant juxta communem DD. sententiam apud Clar. lib. 5. sententiarum §. læsæ Majest. crimen numer. 6.

25 Limitatur tantum conclusio in S. Pontifice, quem offendens, quilibet interim, & cujusvis nationis ille sit, crimen læsæ Majest. committere dicitur, cum omnes habitu saltem Pontificis subditi sint juxta ea, quæ Farinac. scribit de crimine læsæ Majest. qu. 112. num. 247.

26 Quid si aliquis sit tantum alicui Principi subjectus ratione Feudi, quod ab illo accepit, ac illum offendat; committet ne crimen hoc immane de quo agimus?

27 Respondeo quod non, sed tantum Feudum, quod ab illo habuit, amittet, teste Farinac. loc. nuper cit. a nu. 248. *usque ad* 250. *inclusive*, sicuti pariter si Clericus, Sacerdos, vel Episcopus in suum Principem Sæcularem delinquat, non per hoc ab ipso ut reus læsæ Majestatis puniri potest, cum per Clericatum ab ejus Iurisdictione exemptus sit, ac subjectus privative Foro Ecclesiastico. Consulite Farinac. loc. mox cit. a num. 231. usque ad num. 239. inclusive.

Verum ait Clar. §. læsæ Majest. n. 28
7. in fin. *Caveant tamen in omnem casum Clerici, ne talibus se immisceant, quia licet hæc concluſio sit de Jure vera; tamen Principes Sæculares de facto servant contrarium, & in Civitate Florentiæ fuit alias propter hoc crimen suspensus quidam Archiepiscopus, quod sane non fuit quid modicum, aut nugatorium.*

Hujus igitur criminis pœna statu- 29
ta est in L. quisquis C. ad L. Juliam Majest. nempe gladii, seu mortis naturalis, quæ tamen juxta varios variarum Urbium mores, mitiori nunc, nunc atrociori modo sequi solet, & ut ait Raynald. in Sintax. rer. criminal. tom. 1. cap. 2. §. 1. nu. 48. 49. *Reus hujus criminis quandoque in dissertationem in frusta, & quandoque severiori mortis genere punitur, & quidem in Urbe solet practicari, quod malleo percutiatur, & juguletur, & in frusta scindatur, & ita fuisse exequutum tempore Pii IV. contra eos, qui occidere Pontificem conspirarunt testatur Farin. qu.* 116. *num.* 3.

Rursus omnia bona ipsius rei a die 30
patrati delicti confiscantur juxta Text. in dicta L. quisquis.

Tertio qui crimen hoc confessi, vel 31
per sententiam illud commisisse declarati fuerunt, infames fiunt, teste Farinac. tit. nostro quæst. 116. num. 4. & 5.

Quarto, hujusmodi rei insignia gen- 32
tilitia destruuntur, & domus est demolienda C. felicis de pœn. in 6.

Ultimo hujusmodi reorum filii æque 33
naturales, & legitimi, ac naturales tantum privantur qualibet successione, ut diximus in secunda parte Institutionum Civilium agentes de hæreditatibus ab intestato, dummodo tamen nati sint vel concepti post delictum Patris juxta mitiorem opinionem, teste Claro lib. 5. sentent. §. læsæ Majest. crimen numer. 12.

Extenditur autem hæc pœna ad pro- 34

nepotes etiam inclusive, si descendant ex maribus; si ex fœminis autem, in nepotibus tantum militat.

35 Excipiuntur tamen ab hujusmodi pœnæ incursu fœminæ, ut dixi pariter agens de hæreditatibus ab intestato, quæ in bonis matris quartam obtinent partem.

36 Unum advertendum, nempe delictum parentum non obesse filiis, nisi quando fuerit crimen læsæ Majest. in primo capite, factum scilicet contra personam Principis, & ejus Consiliarios, vel Rempublicam; commissum enim alio modo quam hoc, vel contra aliam personam ex supra recensitis, dicitur crimen læsæ Majest. in secundo capite. Videte Alex. cons. 467. n. 1. & Clar. lib. 5. sent. §. læsæ Majest. crimen, nu. 13. vers. *unum tamen*.

Caput Unicum.

Specialia quædam hujus delicti explicantur.

37 Atrocissimum hoc crimen plura specialia habet, quorum 30. refert Farinac. quæst. 118. per tot. & multa etiam Carpzov. in Prax. Crim. quæst. 41. num. 4. & seqq. ac Bajard. ad Clar. l. c. nu. 25. quædam autem principaliora nos selegimus, & ad praxim magis conducentia.

38 Quorum primum est, quod quilibet Fiscus, etiam diversi & distincti Territorii, bona condemnati in suo Territorio sita confiscare possit, juxt. Vot. Card. Castaldi relat. post Rot. Decis. 536. parte 14. rec. & Manzium consult. 357. lib. 3. qui Fiscus illico accipit possessionem bonorum delinquentis etiam antequam discutiatur utrum supra illis cadat Confiscatio juxta dictum Votum post Dec. Rotæ cit. num. 15. imo etiam, si constet illa bona non spectare integre ad delinquentem, sufficit enim Fisco, quod in parte ad illum spectent, ut tota possideat, restituturus exinde aliis Jus habentibus portionem debitam, quod desumitur ex Text. in L. unic. C. de Venditione rerum Fiscal. lib. 1. ibi: *Forma est quoties ad Fiscum vel minima portio rei pertinet, ut universa a Procuratoribus meis distrahatur, sed pretium certum in Fiscum redigatur, reliquum Dominis partium restituatur*, ibique Bart. &. Guazzin de Confisc. bonorum Concl. 13. limit. 44. num. 15. & seqq. Ideoque Fiscus omnia bona rei occupat, & exinde conveniendus est a filiis (si tale Jus habeant) pro excorporatione & detractione legitimæ. Mastin. de Confisc. bonorum quæst. 28. num. 3. ab uxore Mariti damnati pro recuperatione dotis. Guazzin l. c. limit. 35. num. 16. in fin. a creditoribus hypothecariis Rei pro satisfactione, & vocati ad Fideicommissum pro experiendis Juribus propriis Rot. post Farinac. in additione ad quæst. 25. numer. 176. post. 3. lib. consil. ejusdem; nisi tamen personæ supradictæ habeant Jus clarum, & evidens, quo casu possunt impedire Fisci possessionem ad evitandum inutilem circuitum juxta Rot. apud Farinac. l. c. & dec. 197. post secundum librum Consiliorum.

Secundum speciale hujus delicti est, 39
quod in eo procedatur summarie, & sine strepitu, ac figura Judicii, Farin. dicta quæst. 118. n. 1. & Carpzovv. dicta quæst. 41. n. 8. ita ut quotiescumque crimen sit notorium, procedi possit etiam sine citatione: dummodo tamen etiam causa sit notoria, alias enim non procedit conclusio; puta si si sit notorium homicidium, sed ignoretur an ex una, vel alia causa commissum fuerit, tunc enim citatio requiritur juxta Votum primum editum a S. Me. Clem. VIII. post Dec. Remboldi n. 359. & Farinac. dicta q. 118. n. 9.

Tertio, quando reus est fugitivus, 40
& contumax, sententia in eum lata potest exequi in ejus effigiem, vel statuam, illam suspendendo, decollando, totamque comminuendo, vel comburendo, quod etiam practicatur in crimine

mine læsæ Majest. divinæ, nempe hæresis. Gomez lib. 3. var. C. 1. n. 76. dummodo tamen crimen læsæ Majest. fuerit in primo capite, in personam nempe Principis commissum, non vero si contra ejus lateri assistentes, aut alios inferiores. Muller. de fugitivis Tit. de fuga delinquentium §. 38.

41 Quando vero reus mortuus sit, potest ejus memoria damnari, per Text. in L. 6. c. ad Legem Jul. Majest. L. fin. ff. eod. tit. & §. 3. Inst. de pub. Jud. dummodo tamen crimen fuerit in primo capite, juxta Bocer. Tit. de crimine Majest. c. 2. n. 16. 17. & dummodo informativus processus legitime conficiatur, citatis filiis, vel consanguineis defuncti, quibus infamia inurenda est, isque legitimetur per repetitionem testium faciendam cum interrogatoriis, assigneturque ex Officio defensor, & per Edictum citentur omnes, qui velint assumere defensionem defuncti, cum quilibet hoc facere possit, & assignentur termini ad faciendas defensiones, illisque factis, & non relevantibus, Judex Sententiam proferat, cujus formulam in crimine hæresis habes apud Pegnam in direct. Inquisit. parte 3. Comment. 92. vers. hæc accusatio, & vers. ne quis autem & in crimine læsæ Majest. apud Harprect. ad §. 3. Inst. de pub. Jud. n. 49.

42 Quæres autem an Clerici in hoc crimine subjiciendi sint tormento Vigiliæ?

43 Respondeo affirmative, quia Judex Ecclesiasticus quando procedit in delictis, pro quibus Clericus potest degradari, ut crimen hoc hæresis, potest ad eruendam veritatem uti etiam exquisitioribus tormentis, præparantibus ad subeundam pœnam prædictam. Ita Fagn. in C. cum non ab homine num. 69. & seq. de Judic. & Farinac. de crimin. læsæ Majest. qu. 4. nu. 7. quibus favet Text. in Can. nullus 6. q. prima ibi: *excepta tamen Majestatis causa, in qua sola æqua omnibus conditio est*. Secundo, quia in decernenda tortura attenditur natura, & qualitas delicti, non pœna. Ricc. de pub. Jud. q. 4. §. blasphemia n. 18. & seq. parte 2. Campana select. resol. resol. 2. n. 61. Ecclesiastici autem quoad modum tormentorum, non reperiuntur in aliquo privilegiati: Can. Circumcelliones 23. qu. 5.

Quæres secundo, an occidens Episcopum hoc crimen committat? 44

Resp. cum distinctione cum Bald. & 45
aliis relatis a Farinac. q. 112. n. 52. & 131. si Episcopus habet annexam jurisdictionem temporalem, committitur, non vero si mere spiritualem habeat: tunc enim committitur solum crimen parricidii. Et hoc delictum potest puniri a Judice, tum Laico, tum Ecclesiastico Can. sunt quædam 23. q. 5. & Conciol. resol. crim. verb. delictum resol. 3. n. 1. & Ambros. de Immun. Eccl. c. 20. nu. 17. & datur inter eos prævention per rei capturam: Fagn. in C. cum non ab homine de Judic. n. 55. & Judex Ecclesiasticus potest devenire ad omnes pœnas suo Tribunali congruas pro puniendo hujusmodi delicto. Conciol. l. c. n. 4. Sperell. dec. 4. n. 1. & seq. & dec. 86. n. 8. & Del Bene in addit. ad Tract. de Immunit. verb. Episcopus.

Sed inquires ulterius, an si in tali 46
casu contra correos procedatur per utrumque Judicem, Curia Ecclesiastica debeat Judici Laico communicare Processus.

Respondeo negative. Ita enim sæ- 47
pe respondit S. Cong. Immunit. ut refert Del Bene l. c. verb. processus, & Sperell. dicta dec. 86. num. 25. & si communicet, incurrit irregularitatem, etiamsi in fortioribus terminis traderet Judici laico copiam renunciationis Clericatus, vel instrumentum falsæ monetæ a Clerico carcerato fabricatæ. Ita Del Bene, & Sperell. ll. cit. ac Ricc. var. qu. 4. num. 3. post 5. p. resol. quotid.

Cæterum, ut refert idem Del Bene 48
l. c. consulto, & annuente Sanctissimo, tales processus tuto communicari possunt, & multoties expedit, quod gratia hæc indulgeatur, tum ne atrocissima hujusmodi delicta impunita remaneant,

tum quia una potestas aliam adjuvare debet . Can. cum ad verum distint. 96. Can. nec licuit distint. 17. & firmat Farinac. quæstion. 97. num. 8.

49 Quæres tertio , an sciens , & non revelans hujusmodi delictum , pœnis iisdem, ac principalis delinquens puniri debeat ?

50 Respondeo affirmative per Text. in Legem quisquis C. ad Legem Juliam Majestat. ubi dicitur conscios hujus criminis eamdem pœnam subire , quam rei principales incurrunt , & ista fuit opinio Bart. in L. utrum num. 3. ff. ad L. Pompejam de parricid. Salyc. in dicta L. quisquis nu. 16. quam apud Tribunalia , & DD. in praxi esse receptam testatur Farinac. quæst. 51. num. 69. 71. quamvis Baldus communiter in hac opinione non receptus contrariæ sententiæ adhæserit, qui ut refert Farinac l. cit. num. 7. gratis dixit , quod propter hanc opinionem anima Bartoli , & omnium , qui eum sequuntur , cruciatur in Inferno.

51 Pater autem , si filium objurgando, & minis perterrendo, removit a tractatu inchoato contra Principem, eum revelare non debet. Ita Farinac. dicta quæst. 51. num. 85. & Osasch. dec. 80. in fin.

52 Uxor autem numquam tenetur maritum prodere , & revelando fidem conjugalem fallere : prodendo enim virum se ipsam proderet, cum una , eademque caro ambo sint ; ita Farinaccius loco citat. numer. 81.

Nec obstat , quod Pater non teneatur revelare filium , nisi si delicto obviaverit . 53

Non enim est par ratio paterni , & conjugalis affectus , cum Christus ipse Matthæi 19. inquiat: *Relinquet homo patrem , & matrem , & adhærebit uxori suæ , & erunt duo in carne una* : Ideo apud Farinac. loc. cit. plures afferuntur ex DD. in casu filii a patre revelandi hinc inde sentientes, nullus autem asserens maritum revefandum fore ab uxore, ut advertit Raynald. in Syntax. rerum Criminalium lib. 1. cap. 2. §. 2. nu. 17. & duobus seqq. 54

Ac demum Confessarius numquam cogi potest ad revelandum , quia sigillum Sacramentale est de Jure Divino , ut ex D. Thoma & aliis firmat Farinac. q. 51. n. 94. & probabiliter , etiamsi pœnitens licentiam dederit, Confessarius revelare non potest , quia Sigillum Sacramentale non est inductum ad solum favorem confitentis, sed etiam Sacramenti, ut ex Scoto , & aliis testatur Caren. de S. Offic. par. 2. tit. 17. n. 90. quod est adeo verum , ut si reperiatur Schedula , in qua sint scripta peccata alicujus , & ex illa liqueat de aliquo gravi delicto scribentis , nequeat in foro fori contra illum procedi virtute hujus notitiæ , ut decisum refert Ricc. dec. 172. num. 8. & seqq. parte prima & Raynald. loco citat. §. 2. cap. 2. num. 31. 55

T I-

TITULUS II.

De Crimine Ambitus.

1 CRimen hoc ita vocatur , ab ambiendo , & fit cum quis pecunia, donis, minis , & hujuscemodi illicitis artibus Principis Consiliarios captat , ut sibi Dignitatem , vel Officium aliquod a Principe obtineat , vel ut Suffragia eorum acquirat , ad quos honores , vel Dignitates optatas spectat conferre.

2 Ita pariter qui vectigal novum in Urbem induceret , ut hoc modo auram Principis sibi favorabilem redderet , suaque ambitiosa vota facilius expleret , hujus criminis reus esset ad mentem Text. in L. unica ff. ad L. Juliam de ambitu : Quare hujus delicti pœna hodie erit Judici arbitraria , exceptis Religiosis , qui dignitates regulares modis illicitis captent , contra quos exequendæ erunt Constitutiones Apostolicæ , quæ pro unoquoque Ordine contra hoc crimen prodierunt.

TITULUS III.

De Crimine Repetundarum.

1 CRimen hoc a repetendis pecuniis ita vocatur , alioque nomine *Barattaria* dicitur , eo quod illud committens , cum pecunia , vel alia simili re Justitiam baractet , & commutet .

2 Describi igitur potest usurpatio pecuniæ ab aliquo facta occasione publici muneris , quod exercet , L. prima ff. ad L. Jul. repetund.

3 Dupliciter quis pecuniam potest accipere , vel recipiendo illam a sponte dantibus , quo casu hoc crimen proprie patratur ; vel extorquendo eam ab invitis , quo casu crimen quod fit , non hoc , sed concussio vocatur .

4 Potest igitur repetundarum crimen primo fieri , cum Judex pecunia corruptus , non facit ea , quæ facienda sunt , v. gr. si sit Judex Criminalis , Reum puniendum non punit , vel si Civilis , Sententiam ferendam non profert .

5 Secundo , ad hoc ut Judex faciat , quæ facienda non sunt , v. g. ad hoc, ut Judex Criminalis puniat insontem non puniendum , vel ut Civilis sententiam ferat iniquam .

Quod si uterque horum Judicum pro exequenda Justitia , prout proprii muneris est , pecuniam accipiat , hujus quoque criminis vocatur reus . 6

Imo , si aliquis Judici simpliciter pecuniam det non exprimendo finem, ob quem illam solvat , adhuc Delictum istud committet , quia in dubio præsumatur Judici data pecunia in malum , non in rectum finem . Videte Farin. parte 3. praxis Criminalis sub tit. de variis , ac diversis criminibus , quæst. 111. articul. 8. numer. 167. 7

Et sciendum est, æque hujus criminis notam incurrere dantem pecuniam , ac eam recipientem , L. prima §. Sed & Constitutio ff. de calumniatoribus , nisi tamen aliquis Capitalis delicti reus pro tuenda vita propria Judicem pecunia corrupisset , cum cuilibet impune permissum sit sanguinem proprium redimere ; Imo aliqui ex DD. hanc limitationem 8

exten-

extendunt ad extraneum quemvis, asserendo posse illum pecuniæ ope Judicem corrumpere, ut alium capitaliter inquisitum e mortis propinquæ faucibus eripiat. Remitto vos ad Farinac. loco nunc laudato art. 7. n. 114. & 115.

9 Advertendum tamen munus dantis esse probare hoc, quod pecuniam Judici dederit ob mortem evitandam, vel alium licitum finem, in dubio enim præsumitur data ob Judicem corrumpendum. Ita Farinac. loc. supradicto num. 117.

10 Concussio est alter modus hoc crimen committendi; modus inquam graviori malitia præditus, cum nihil aliud sit, quam extorquere ab alio pecuniam per vim, aut metum, id ipsum quod sonat *Concussio*, nempe timoris incussionem.

11 Hoc crimen ergo committitur, quoties Officialis, aut Judex, vel quævis alia privata persona facto, vel verbis alteri metum quomodolibet incutit, ut ab eo pecuniam extorqueat; puta si metum incuteret aliquis honestæ mulieri, minans se eam de adulterio accusaturum fore ad Judicis Tribunal, nisi pecuniam solvat.

Advertendum tamen criminum, de 12
quibus diximus, reatum incurri, etiamsi pecunia Judici tradita non fuerit; dummodo fuerit promissa, ab eoque non recusata, & dummodo promissa fuerit certa pecuniæ summa, juxta Boer. Dec. 153. nu. 34. 35. 37. relatum a Farinac. in centies jam laudato art. 8. num. 162. 163. & 164.

Quid autem dicendum, si quis Ju- 13
dici non pecuniam, sed certam aliam rem dederit, vel promiserit?

Respondeo, idem Juris esse in utro- 14
que, & adhuc crimina explicata committi, cum hic nomine pecuniæ veniat omne id, quod pro pecunia accipitur, & utilitatem, vel commodum affert accipienti, teste Farinac. loc. cit. num. 168.

Pœnæ autem, quæ reos hujusmodi 15
criminum insequuntur, variæ a Judice infligendæ sunt juxta varietatem modi, quo delicta perpetrata fuerunt, adeoque in illis certa regula constitui haud ita facile potest.

TITULUS IV.

De Crimine Peculatus, & de Residuis.

1 Dicitur peculatus a pecore, quia ante æs, & argentum signatum, hujus criminis rei afficiebantur multa pecorum, nempe duarum ovium & 30. boum auctore Festo lib. 4.

2 Crimen peculatus committi potest, & ab Officiali publico, seu administratore, apud quem residet pecunia fiscalis, & ab alio etiam, qui publicus officialis non sit, si talem pecuniam intercipiat L. 1. & 3. ff. ad L. Jul. peculatus: Crimen vero de residuis committi potest a solo Officiali publico, qui publicam pecuniam pro *Domino*, vel pro necessitatibus Communitatis retinere debet ad iis subveniendum, ut ex distinctione casuum ad oculum patebit.

Primo ergo, peculatus committi- 3
tur ab Officiali, qui pecuniam ad certum usum traditam in eum non expendit, sed in proprium usum convertit Caball. Crimin. resol. quæst. 9. num. 74. & seqq. Sanfelic. decis. 285. num. 74.

Secundo, si pecuniam ad certum 4
usum destinatam dixit in eum erogasse, sed penes se retinuit; præsumitur enim habuisse animum furandi L. Sacrilegii §. eum quoque & L. hac Lege ff. ad L. Jul. pecul. Sanfelic. loc. cit. num. 23. Galeott resp. fiscal. 22. num. 26.

Ter-

5 Tertio, si minorem pecuniæ quantitatem, ac vere receperit, in publicis tabulis scripserit: dicta L. hac Lege Galleott. l. c. n. 37. & seqq. Decian. tract. Crim. lib. 8. c. 27. n. 24.

6 De Jure communi pœna peculatus in Officiali publico est pœna mortis, in eo autem, qui non sit publicus minister, Judici arbitraria, quia gravius ratione mali exempli, & securitatis in delinquendo peccat primus, quam alter L. prima L. Sacrilegi §. Labeo ff. titulo cit. L. un. C. de Crimin. pecul. Sanfelic. dec. 166. n. 4. & dec. 288. n. 65. Menoch. de arbitrar. Casu 586.

7 Juxta autem Constitutiones Apostolicas, quæ servari debent in Statu Ecclesiastico, juxta personarum qualitatem & quantitatem pecuniæ retentæ, est arbitraria Judici pœna, ut disponit Paulus III. in Constit. 40. Bull. to. 1. quæ tamen aliquando extendi potest ad mortem, ut in casu Caball. resol. 99. per tot. aliquando damnatur ad triremes, ut in casu Sanfelic. dicta dec. 166. n. 13. Aliquando relegatur ad tempus, ut per Masin. de confisc. bonorum quæst. 12. num. 22. & aliquando ultra restitutionem quadrupli, exilio mulctatur, ut ex Jodocho pract. crim. cap. 115. rub. de pecul num. 2. & 3. semper tamen debet esse pœna gravior, quam pro simplici furto, quia crimen est furto gravius juxta Sanfelic. dicta dec. 285. nu. 19. qui tamen ibidem n. 77. advertit cum Bertach. in repert. v. *Officialis Exactor*, quod furripiens parvam pecuniæ quantitatem non puniatur pœna ordinaria, sed diutina Carceratione, & restitutione pecuniæ cum interusuriis.

8 Quæres autem an Ministri Montis Pietatis, vel locorum Montium, si hujusmodi fraudes committant, crimine peculatus, ejusque pœna teneantur.

9 Respondeo rigorose loquendo illud non dici crimen peculatus, quia pecunia, quæ ab ipsis intercipiatur, proprie non debetur Principi, qui postquam prima vice vendidit loca Montium, & pretium recepit a primo emptore, ea relinquit in privato commercio inter resignantes, & resignatarios, & idem dicendum de pecuniis existentibus in Monte pietatis, vel Banco S. Spiritus in Saxia, quæ ad privatas pertinent personas, ideoque testatur Raynald. in Syntag. rerum crim. to. 2. cap. 14. §. 21. n. 89. se vidisse plures Ministros S. Montis pietatis Urbis ob furta & fraudes transmissos, ad triremes, & unum Secretarium Locorum Montium condemnatum in pœnam magnam pecuniariam, ac relegationem in quodam oppido Status Urbini; subdit tamen ibidem: *Cæterum consulo Ministris, & Officialibus prædictorum locorum, ne se fundent in dictis exemplis, quia trita est conclusio, quod pro tribus furtis potest fur furca suspendi*; & revera si talia delicta ab hujusmodi Officialibus iterato patrata fuerint, posse delinquentem pœna Ordinaria puniri, referunt decisum Florentiæ Caball. dicta resol. 99. n. 4. ac Sabell. in Summ. to. ult. §. furtum n. 22.

Nec obstat, quod ipsi fidejussores 10
dederint, & ideo dolus civiliter sit purgandus, non actione Criminali, ut videre est apud Farinac. cons. 7. n. 8. & Vermigl. Cons. 152. n. 1.

Quoniam, ut bene respondet Ma- 11
strill. dec. 238. n. 59. fidejussio præstatur non ad tollendam actionem in casu fraudis, sed ad assecurationem Montis, si Officialis ablatis pecuniis fugiat, vel eiam damnetur ob dolum commissum, ne Mons damnum sentiat, vel etiam in casu quo sine dolo Officialis per errorem, aut negligentiam Monti afferat detrimentum, & jacturam.

Quæres ulterius, an Colonus, qui 12
habeat Animalia in Societate, si aliqua ex eis vendat inscio Domino principali, dicatur peculatus reus?

Respondeo negative cum Quesada 13
Controv. Forens. 7. per tot. dummo-

do

do non in magna quantitate vendat, & habeat ipse etiam Jus in re vendita, quia in re communi furtum non fit.

14 Deveniendo jam ad crimen de residuis, quod ita dicitur a residendo, & quia pecunia publica, seu Fiscalis residet penes eum, cui ad certum usum, certamque administrationem tradita fuit, dico crimen hoc committi in pluribus casibus.

15 Primus est, si Officialis publicus pecuniam ad certum usum destinatam in illum non eroget, & penes se retineat etiam otiosam L. 1. & L. 4. ff. ad L. Jul. pecul. Caball. l. c. num. 33. & Sansel. l. c. num. 22. & 26.

16 Secundus casus est, quando Officialis pecuniam ad certum usum destinatam in illum non erogat, sed vel totam, vel partem in alium usum pariter utilem communitati, Aret. in §. lex Julia Instit. de pub. Judic. nu. 1. Caball. l. c. nu. 38. Ruin. Cons. 143. nu. 7. lib. 5. Decian. lib. 8. cap. 32. nu. 9.

Tertius est, si officialis publicus finita administratione pecuniam non restituat, sed penes se retineat, dummodo tamen se debitorem communitatis, vel Principis liquido confessus non fuerit, quo casu habebitur tamquam Fisci debitor, & contra illum civiliter agendum erit, dummodo solvat residuum intra annum; alias eo elapso tenebitur pœna Legis Juliæ de residuis Decian. l. c. n. 6. 17

Qui igitur hujus criminis reus est, tenetur ad restituendum residuum, in quo remansit debitor una cum interesse, sed excusari potest a pœna criminali, si dolus in retentione abfuerit. Sanselic l. c. n. 79. in fine, De Ponte Cons. 22. in fin. Si vero dolus intervenerit, & pecunia retenta sit modica, a pœna pariter excusari debet juxta Bursat. cons. 325. n. 19. lib. 3. alias vero pœna arbitraria puniri posse, quia tunc tale crimen dicitur continere in se crimen furti, dixerunt Caball. l. c. num. 4. & seqq. Sanfelic. ibid. n. 20. Soccin. cons. 46. n. 10. lib. 1. & Cacheran. dec. 70. n. 9. 18

TITULUS V.

De Crimine Fraudatæ Annonæ.

1 ANnonæ appellatione venit omne id, quod ad victum humanum pertinet, ut frumentum, panis, vinum, oleum, sal, acetum, carnes, palea, fœnum, ligna, olera herbarum &c. Qui igitur fecerit, ut annona carior, ac rarior fieret, publicæ annonæ vexator, vel fraudator erit.

2 Potissimus fraudandæ Annonæ modus est Monopolium, vox Græca idem latine reddens, ac unius in civitate vendendi potestatem, cum Monopolium nihil aliud sit, quam unius in Civitate venditio.

3 Committitur primo Monopolium, cum Mercatores in aliqua Civitate inter se conveniunt, ne merces vendantur minori pretio ab ipsis statuto. Et ratio est, quia ita agendo emptores necessario cogunt ad emendas eas merces pro tali pretio, quas alias pro inferiori pretio essent empturi; adeoque lædunt Jus justitiæ, quod habent Respublica, & Cives, ne scilicet compelli possint per illicita media emere res majori pretio, ac essent empturi; Text. est in L. unica C. de Monopol. ibi: *Neve quis illicitis habitis conventionibus coniuret, aut paciscatur, ut species diversorum corporum negotiationis, non minoris, quam inter se statuerint vænumdentur.*

Secundo Monopola est qui fraude, & iniquis artibus impedierit, ne merces aliquæ in Civitate adveherentur, 4

ut

ut ipse solus earum mercium, vel similium venditor esset. Ita Castropal. de Just. Commutat. tract. 33. disp. 5. puncto 34. n. 8.

5 Tertio Artifices alicujus loci, qui conveniunt inter se, ne opus aliquod ab uno ex ipsis inchoatum eorum alius perficiat, Monopolium illicitum patrant, cum hæc conventio cedat in manifestam Reipublicæ perniciem ad Text. expressum in dicta L. unica C. de Monopoliis,

6 Et ultimo quælibet mutua conventio privatum pacisentium commodum spectans, & publicam Reipublicæ perniciem, illicita est, & Monopolium nuncupatur teste Castropal. loc. mox cit. num. 10. quapropter in hujusmodi Monopolas justa exarsit ira in laudata L. unica Zeno Imp. animadvertendo in illos bonorum proscriptione, & exilio perpetuo.

7 Advertendum tamen, quod Monopolium propter publicam utilitatem a Principe permitti possit, puta quod res certo modo, & a certis personis vendantur, dummodo constitutum fuerit pretium moderatum, & legitimum Bald. in L. unica C. de Monopol. n. 7. Bart. in L. si in emptione §. omnium ff. de contrah. emptione, & Abb. in cap. significante de appellat. Quare mercatores illi, qui de longinquis regionibus curant, ut merces certæ speciei ad Urbem deferantur, Monopolium non committunt, quia nulli perniciem afferunt, nec publico bono nocent, quin. potius communem utilitatem curant, & abundantiam in Civitate replendo eam mercibus rarioribus, & eas advehentes cum periculo amissionis illarum ratione longissimi itineris, multoties piratis, & latronibus obvii. Quare laudandi sunt ut boni Cives, dummodo Officio suo non abutantur in evidens populi detrimentum: Ita Ant. Perez C. de Monopol. num. 3. Bovadilla in Politica lib. 3. cap. 4. nu. 57. & Franciscus Vico ad pragmat. Sardiniæ to. 1. tit. 6. cap. 6. num. 5. Et tales personæ vocantur proprie in Jure Dardanarii ad text. in L. Dardanarios ff. de pœn. & L. annonam ff. de extraord. Crim. desumpto nomine a quodam Dardano Mago, qui frugum sterilitate & Annonæ caritate per maleficia inducta, populum vexabat, ut ipse merces, quas emerat, venderet solus; ut volunt Accurs. & alii relati a dicto Vico l. c. num. primo: qui tamen ut diximus, si vel injusti pretii taxatione, vel alio modo populo damnum ferant, puniri possunt, & inter Monopolas recensentur, ut notant DD. cit.

Monopolarum pœna est Judici arbitraria, cum puniri possint exilio, & publicatione bonorum L. 1. C. de Monop. & si eorum culpa tumultus, vel seditio aliqua orta fuerit, etiam pœna capitali L. capitalium §. solent ff. de pœn. & L. unic. C. de sedit. 8

Jam vero Annonam etiam fraudare dicuntur qui navim eam deferentem dolo malo detinent, ne ad portum, vel statutum locum appellat, L. 2. ff. ad L. Jul. de Annon. Sicuti etiam qui mensuras, & pondera publica auctoritate constituta ad merces vendendas adulteraverint, quos Hadrianus Imp. relegandos fore mandat in L. Annonam ff. de extraord. crim. 9

Et quoniam in mensuras & pondera sermo incidit, quorum Plinius Phidonem Argivum auctorem fuisse contendit, Aulus Gell. Palamedem; D. Tho. vero, & quidem verius, naturam ipsam, cum omnia Deus disposuerit in pondere, numero, & mensura, ut videre est apud Giballin. de univers. negotiat. lib. 1. cap. 6. & Cyriac. contr. 131. n. 59. & seqq. sciendum primo est Principis esse, & ad ejus mixtum Imperium spectare designare mensuras publicas, quænam, & quales esse debeant. L. Modios C. de susceptoribus præp. Lib. 10. Tholosan. Syntagmat. Jur. lib. 36. c. 1. n. 18. 10

11 Secundo sciendum, talia pondera, & mensuras fieri debere ex Ære, vel lapide, ut stabiliores sint juxta Bart. in dicta L. modios n. 1. Tholos. l. c. n. 9. & Cyriac l. c. n. 3. publico signo notandas fore, & in loco publico statuendas, ut quivis privatus ex illis sibi formam sumere possit, & in contractibus prospicere juxta text. & DD. allegatos; ideoque si mercatores, & alii mensuris, seu stateris falsis, imminutis, & corruptis res vendant, pœna falsi, & furti tenentur Tholos. l. c. n. 12. & seqq.

12 Quinimo nec eas retinere possunt, sique retineant, pro prima vice corrigendi sunt, pro secunda puniendi arbitrio Judicis. Menoch. de arbitr. casu 317. per tot. Giurba cons. 32. n. 21. & Caball. resol. 30. n. 5. ipse enim Deus dixit Deuter. c. 25. *Non habebis in sacculo diversa pondera, majus, & minus, nec erit in domo tua modius major, & minor; abominatur Dominus hæc.* Pœna autem vendentium cum mensuris falsis potest esse pecuniaria, relegationis ad biennium, & arbitraria Judici juxta Farinac. quæst. 150. n. 78.

13 Si quæras autem quomodo constare debeat de alteratione, & imminutione mensuræ.

14 Respondeo ex recursu ad mensuram retenta in loco publico, tamquam ad Archetypum, ex cujus inspectione, ac coæquatione juxta peritorum relationem constabit quid, & quantum fuerit imminutum: dicta L. modios, ibique Bart. & Cyriac. l. c. n. 2. sique mensura publica in loco deficiat, vel & ipsa fuerit corrupta, recurrendum erit ad mensuras publicas locorum vicinorum. Adden. ad Guidop. Dec. 490. Litt. A.

15 Fallarii etiam, & fures, & Annonæ vexatores improbi dicuntur Pistores, qui panem mala farina confectum, & ex parte incoctum vendunt. Cohell. ad *Bull. bon. regim.* cap. 21. nu. 45. vel aceto lavant manus, ut panis exaltetur, & ponderosior videatur Christinæus dec. *Belgic.* 199. n. 19. Vol. 4. & Harppr. ad §. item Lege Cornelia de fal. n. 43. Instit. de pub. Jud. qui ait, quod pro prima vice pecunia mulctandi sunt, pro secunda banniendi, idemque dicas de aliis, ut Macellariis inflantibus animalia mortua, ut pinguiora appareant, piscaroribus calcem in piscium ventres claudentibus, ne male oleant &c. Videte Cohell. l. c. & Carolum Perram ad ritus M. Curiæ Vicariæ ritu 267. n. 34. & seq.

16 Jam vero annonæ etiam fraudator est publicus administrator, qui ab horreis Communitatis auferat frumentum suæ Custodiæ creditum, eoque ad suos usus, vel amicorum utatur: tenetur enim duplum reddere L. auri statuta C. de frum. Urbis Constantin. lib. 11. & debet etiam deportari L. posthac C. de condit. in publ. horr. lib. 10. & L. neminem C. de Canon. frument. lib. 11.

17 Si vero relicto in horreis frumento publico, proprium Pistori tradiderit ad panem conficiendum, & venui exponendum, debet privari exercitio tamquam in Officio delinquens, & inhabilitari perpetuo, ac tenetur ad damni illati Annonæ publicæ refectionem Lege Judices C. de Dignitat. lib. 12.

18 Quod si demum frumentum in horreis publicis ejus negligentia perierit, vel tineis, blattisque corrosum, aut pluvia aqua decidua corruptum fuerit, totum ejus damno cedere debet L. 2. C. de condit. in publ. Horr. ibique Bart.

TI-

TITULUS VI.

De Homicidio.

1 HOmicidium ita dictum a cæde hominis, est *occisio hominis, seu violenta exanimatio*, ab homine facta. Ita Vvesembec. in paratiol. ff. ad L. Corneliam de Sicariis; dicitur autem *ab homine facta*, quia si homo occidatur a bruto, non dicitur homicidium, sed pauperies tot. tit. Inst. & ff. si quadrupes pauperiem &c.

2 Punitur hoc crimen de Jure humano Lege Cornelia de Sicariis edita a Lucio Cornelio Sylla dictatore Romano L. 2. §. capta ff. de Orig. Jur. & tot. tit. Cod. ad L. Cornel. de Sicar. Sicarii autem ita vocantur a Sica gladio breviore, ita dicto a secando juxta Vvesemb. loc. cit. num. 3.

3 Aliud est simplex, quod supra definivimus, aliud qualificatum, quod habet etiam qualitatem adjunctam. Simplex, vel est casuale, vel necessarium, vel culposum vel rixosum, vel dolosum, vel voluntarium purum, vel voluntarium præmeditatum.

4 Casuale est, quod casu evenit; v. g. si quis cadens ab arbore, vel recto occidit hominem per viam transeuntem, & hoc quavis pœna caret: late Farin. q. 126. n. 20. & Conciol. res. crim. 4. nu. 7.

5 Necessarium est illud, quod quis in periculo vitæ constitutus committit ad sui necessariam defensionem, v. g. si quis impetitus ab inimico alium non habeat modum se tuendi, quam ejus occisione, quod pariter est impunibile cum de Jure naturæ, & divino vim vi repellere liceat, L. ut cum ff. de just. & jur. L. prima §. cum arietes ff. si quadr. pauper. & L. 1. §. cum vi ff. de vi, & vi armata.

6 In praxi tamen non debet hujusmodi homicida a Judice absolvi sine licentia Principis, Bajard. ad Clar. §. homicidium n. 72. & Boer. dec. 164. n. 15. Quinimo Sabell. in prax. crim. v. homicidiarii n. 22. & 57. censet (nisi Princeps gratiose indulgeat) in exilium fore mittendos, quia difficile est, quod nullus adfuerit excessus in defensione, & etiam ad tollendum scandalum in civitate; cum omnibus notum sit homicidium, non vero omnibus, quod ad sui necessariam defensionem patratum fuerit. Ita Farinac. in additione ad quæst. 40. num. 15. post 3. Volumen Consilior.

7 Ut vero præfatum homicidium sit a quavis pœna immune, requiritur primo, quod commissum fuerit cum moderamine inculpatæ tutelæ, quod versatur circa tria. Primo circa modum, nempe quod idem hinc inde sit genus armorum, Caball. resol. crim. 148. nu. 31. Guazzin. reor. defensa 29. c. 5. n. 2. Vermigliol. cons. crim. 73. nu. 7. idem dixi *genus*, quia non requiritur scrupulosa armorum mensuratio ad hunc finem. Ita Giurb. cons. 17. n. 24. & seqq. Calvin. de æquit. c. 192. n. 22. & seqq. & Conciol. res. crim. 3. n. 9. circa fin.

8 Secundo circa tempus, ut nempe incontinenti quis se defendat L. prima C. unde vi, & L. ut vim ff. de Just. & Jur. dicitur autem defensio incontinenti facta quando fit antequam qui se defendit divertat ad alios actus. Guazzin. & Conciol. ll. cit.

9 Tertio circa causam, quod nempe offensio fiat ad defensionem, non ad vindictam. Guazzin. loc. cit. ita ut qui est constitutus in discrimine vitæ, honoris, seu alicujus injuriæ personalis, alio modo nequeat dictam injuriam evadere, quam alium offendendo. Guazzin. loc. cit. num. 2. & Gramm. cons. 56. num. 16.

10 Secundum quod requiritur, ut hujusmodi homicidium sit impunibile, est, quod occidens non fuerit autor rixæ, alium lacessendo factis, vel verbis

contumeliosis, alias enim non evaderet quamcumque pœnam, quia fuit causa mali. Gaill. de pace publica lib. 1. cap. 17. num. 16. Bajard. ad Clar. l. c. num. 78. & 125. evadet tamen pœnam ordinariam, nisi ad rixandum accesserit animo occidendi, excitando nempe rixam, & tale factum tentando, quod probabiliter sine homicidio expleri non poterat. Sabell. l. c. nu. 51. Guazzin. defens. 33. C. 22. Caball. de omni genere homicid. num. 113. 114. puta si quis odio habens Cajum, quærat occasionem illum necandi, & affectate rixam excitet; vel si quis habens mandatum ad eum occidendum, armatus ante ejus domum deambulet, donec Cajus egrediens domo, & suspicatus id quod est, impetum in mandatarium faciat, a quo prætextu rixæ occidatur, & in hoc casu occisorem damnatum a se fuisse in contumacia ad pœnam ultimi, & confiscationis bonorum, testatur Raynald. Tom. 1. c. 7. n. 33. in fin.

11 Jam vero homicidium culposum est illud, quod sine animo, & voluntate occidendi committitur L. prima §. D. Hadrian. in principio ff. ad l. Cornel. de Sicar. Et distinguendæ sunt duæ culpæ species. Prima datur in eo, qui dans operam rei licitæ, casu alium occidit, culpa tamen aliqua præcedente, seu præordinata ad casum, & hic mitius est puniendus, quia rei licitæ operam dabat Farinac. qu. 126. num. 46. & Caball. de omni genere homicid. num. 202. & seqq. v. g. si quis excesserit moderamen inculpatæ tutelæ in se defendendo, quia culpa solum adfuit in modo defensionis, non in ipsa defensione; ideoque tales satis puniuntur pœna pecuniaria, vel relegationis juxta DD. cit.

12 Secunda culpa intervenit in eo, qui dans operam rei illicitæ, casu hominem interfecit, qui cum fuerit in dolo respectu actus principalis, in culpa vero respectu homicidii subsequuti, gravius puniri debet v. g. ad carcerem perpetuum, seu temporalem, aut ad triremes ad tempus; v. g. si quis projecerit lapidem adversus turbam hominum, unumque ex illis occiderit. Ita Clar. §. homicidium vers. culpa dicitur.

Quare in hoc proposito quærunt. 13
DD. qua pœna puniendus sit qui volens occidere Cajum inimicum suum, occidit Titium.

Bart. in L. respiciendum §. delin- 14
quunt n. 6. ff. de pœn. & in L. Divus num. 4. ff. ad L. Cornel. de Sicar. & Bald. in L. si quis n. 13. Cod. de Episc & Cleric. ajunt puniendum fore pœna ordinaria mortis naturalis, quia in delictis sufficit dolus in genere, licet sit error in corpore, & persona offensi.

Angel. vero in L. si cum servo ff. 15
de injur. Alex. in addit. ad Bart. dicto §. delinquunt lit. D, & Jas. in L. si per errorem num. 17. ff. de Jurisd. omnium Judicum, sunt pro pœna extraordinaria, quia negari non potest quod in delinquente deficiat animus occidendi quem occidit.

Raynald. loc. cit. num. 43. & seq. 16
dicit, quod si in aliquo loco vigeret stylus condemnandi hujusmodi homicidas ad pœnam ordinariam, præsertim ad tollendam frequentiam homicidiorum, quæ inibi in dies patrarentur, amplectenda esset opinio Bartoli, secus vero opinio Angeli tamquam mitior, quam testatur sequi sacram Consultam, sed semper pœnam extraordinariam extendendam fore ad Triremes perpetuos ratione animi deliberati in homicida ad occidendum.

Homicidium vero rixosum est, quod 17
in ipsa rixa, & tempore rixæ committitur; dolosum vero quod extra locum rixæ, sed durante adhuc calore recentis iracundiæ, & utrumque citra mortem puniendum est, cum excludat dolum malum, qualis est ille, qui sedata ira residet in animo Clar. l. c. num. 5. Caball. l. c. num. 104. quæ est opinio Bart. in L. si ff. si quis testam. liber. &c. & Jason. in L. actionibus num. 26. ubi etiam dec. n. 20.

ff. de

ff. de in litem jur. & Castrens. cons. 277. vol. 2. Ajebat enim & ipse Tullius lib. primo de offic. *In omni injustitia permultum interest, utrum perturbationem aliquam animi, quæ plerumque brevis est, & ad tempus, an consulto, & cogitato fiat injuria; leviora enim sunt ea, quæ repentino aliquo motu accidunt, quam ea, quæ meditata, & præparata inferuntur.*

18 Quod si quæras quamdiu durare dicatur calor iracundiæ?

19 Regula quæ servatur in praxi est, quod ea duret, quousque occidens non divertit ad alios actus, & plerumque non excedat 12. horas juxta illud Pauli ad Ephes. 4. *Sol non occidat super iracundiam vestram.* Lucas de Penna in L. omnes num. 5. Cod. de Decurion. lib. 10. Thesaur. dec. 178. n. 7. Farinacc. Cons. 2. num. 8. Cortiada dec. 97. num. 5. 6.

20 Homicidium vero purum voluntarium, vel est quod committitur ad provocationem, in quo casu idem videtur esse, ac rixosum, & ideo puniendum pœna extraordinaria. Caball. l. cit. nu. 104. vel quod aliqua causa etiam levi præcedente patratur, puta quia quis irrideatur ab alio, vel levi facto, aut verbo ad iram accendatur, quod pariter a pœna ordinaria excusare potest, cum ad eam incurrendam jus requirat dolum malum, L. prima ff. ad L. Cornel. de Sicar. & Farinacc. qu. 90. n. 19.

21 Contra tamen homicidium voluntarium præmeditatum fit, cum quis prævia animi deliberatione, occisionem ipsam ex intervallo præcedente, hominem occidit, & ut vulgo dicitur *a sangue freddo*, cum præcedentia committantur *a sangue caldo*, quod quidem pœna mortis naturalis puniri debet L. 3. §. patiatur C. de Episc. audientia §. Lex Cornelia Instit. de publ. Judic. L. pen. §. qui alias ff. ad L. Pomp. de parricid. & L. 1. C. de raptu Virginum, & in Genes. cap. 19. dicitur: *Quicumque effuderit sanguinem humanum, effundetur sanguis illius*; Et Exodi c. 21. *Qui percusserit hominem volens occidere morte moriatur*, & Deuter. c. 19. *Si quis autem odio habens proximum suum insidiatus fuerit vitæ ejus, surgensque percusserit illum, & mortuus fuerit, fugeritque ad unam ex supradictis urbibus, mittent seniores Civitatis illius, & accipient eum de loco effugii, tradentque in manu proximi, cujus sanguis effusus est, & morietur; non misereberis ejus, & auferes innoxium sanguinem de Israel, ut bene sit tibi.*

Quapropter improbat merito Fari- 22
nac. de homicid. qu. 121. num. 118. & qu. 125. n. 403. & cons. 141. per tot. lib. 2. aliquos ex DD. asserentes, quod si propter gravem injuriam passam quis motus fuerit ad occidendum, etiamsi ex intervallo, & cogitato, consultoque occidat, pœnam ordinariam evitare debeat: Improbatur inquam merito hæc opinio, utpote Juri contraria, & divinis præceptionibus; alias enim nullum homicidium pœna mortis mulctaretur, cum nullum fere sit, quod aliquam causam præcedentis injuriæ non habeat, & sic relaxarentur reis habenæ, & quivis propria auctoritate sibi Jus diceret, quod quam erroneum, imo vero universæ Reipublicæ pernicioſum, & exitiale foret, nemo est, qui non videat, ideoque ait text. in Leg. 3. Cod. de Episc. aud. *homicida, parricidaque, quod fecit semper expectet*; Ut enim ex D. Thom. ait Farinac. quæst. 119. numer. 1. homicidium præmeditatum est delictum atrocissimum, gravissimum, & horrendum, quo homo hominem e mundo expungit, rationalis nempe animæ pulcherrimam sedem, ac vivens Dei Templum; quinimo Dei ipsius sibi officium usurpat, in cujus manu mors, & vita juxta Decian. Tract. crimin. lib. 9. cap. 17. numer. 1. Quare eadem pœna ordinaria plectendi sunt qui data opera homicidio hujusmodi auxilium, ut opem præstant; cum

agen-

agentes, & consentientes pari pœna plectantur. Clar. §. homicidium vers. aut vero sunt plures. Farinac. cons. 38. nu. 27. Caball. resol. Crim. 192. n. 1. & seq.

23 Transeundo jam ad homicidia qualificata, quæ ultra præmeditationem habent annexam qualitatem ea aggravantem, sit.

Caput Primum.

De Parricidio.

24 Quoad hoc scelestissimum crimen ita ait Cic. in orat. pro Sex. Roscio: *Solon cum interrogaretur cur nullam supplicium constituisset in eum, qui patrem necasset, respondit, se id neminem facturum putasse; sapienter fecisse dicitur, cum de eo nihil sanxerit, quod antea commissum non erat, ne non tam prohibere, quam admonere videretur;* & etiam Romulus de hoc crimine ob dictam rationem nihil statuit teste Decian. tract. crim. lib. 9. cap. 6. num. 16.

25 Committitur autem si filius patrem, vel pater filium interficiat, vel alium quempiam sibi sanguine, vel affinitate proxime conjunctum L. un. C. de iis, qui parent. vel filios occider. & §. alia deinde Instit. de publ. Judic.

26 Amplia primo, etiamsi fuerit pater, vel filius naturalis, tantum, quia in hoc attenditur substantia filiationis, non qualitas. Alex. in L. 2. numer. 10. ff. de in Jus vocando: Et ideo Apostill. ad Bald. in L. cum acutissimi nu. 8. cod. de Fideic. inquit, combustam fuisse quamdam Monialem, quæ proprium filium interfecerat.

27 Amplia secundo, quamvis ascendens alium descendentem, vel descendens ascendentem remotiorem necaverit gl. in L. 1. ver. pœna ff. ad L. Pompejam de Parricid. & in §. alia ver. sustinebit Inst. de pub. Jud. quia imo etiamsi transversalem intra quartum gradum occiderit dicta L. prima, & gl. cit.

Antiquitus parricidis imponebatur 28
hæc pœna, quod nempe insuerentur corio una cum gallo gallinaceo, cane, vipera, & simia, & in mare, vel proximum flumen projicerentur. Ita Text. in §. alia deinde Inst. de pub. Jud. rationem reddens his verbis: *Ut omnium Elementorum usu vivus carere incipiat, & ei Cœlum superstiti, & Terra mortuo auferatur:* quæ pœna emanavit a L. Pompeja de parricid. quam Cn. Pompejus Magnus anno U. C. 781. in tertio suo Consulatu tulit juxta Harprect. in dicto §. alia num. 1. Salyc. in dicta L. unic. & Clar. §. parricidium num. 5. Hodie vero juxta consuetudinem, vel in frusta scinduntur, vel Rotæ affiguntur, vel strangulati includuntur dolio, & projiciuntur in flumen, vel ad caudam equi trahuntur; frequentius autem, ut ait Clar. ibidem vel decapitantur, aut furca suspenduntur, vel fortassis etiam malleo in capite percutiuntur, & exinde in frusta scinduntur: videte Farinac. quæst. 120. per tot. Decian. loc. cit. num. 6. & seq. & Paschal. de patr. pot. parte 4. cap. 10. num. 3.

Eademque pœna tenentur, qui con- 29
silium, vel auxilium præstant ad committendum hoc scelus, dummodo tamen mors sequatur, alias mitiorem pœnam subibunt, L. utrum ff. ad L. Pomp. de parric. & dicto §. alia Instit. de pub. Jud. Decian. l. c. c. 13. num. 6. Farin. dicta quæst. 120. numer. 146.

Conceditur tantum Patri facultas 30
occidendi filium in adulterio cum noverca deprehensum. L. Divus ff. ad L. Pomp. de parricidis, quam potestatem male DD. extendunt generaliter ad causas, ex quibus potest filium exhæredare, ut videre est apud Decian. l. c. cap. 15. n. 26. & Farinac. l. c. n. 169. & 170. ut enim ait Anton. Matthæus de criminibus Tit. de parricid. c. 2. num. 10. *Existimo justissimum dolorem esse debere, cui ne clementissimus quidem moderari possit, ut pœna capitalis Patri remittatur.*

31 Idemque, imo a fortiori dicendum erit de filio ex justa quamvis causa patrem occidente, præsertim cum filius patri amorem, & reverentiam debeat, cui debet & vitam, Pater amorem tantum, & coram Patre etiam irato & verbera infligente, filius debeat stare tamquam ovis coram tondente, ut notat Matthæus ibid. num. 11. 12. & Raynald. tom. 1. cap. 6. §. primo num. 48. & seq. consulit, quod eveniente casu, quo justissima causa motus filius patrem occiderit, causa relinquatur indecisa, innixus exemplo Areopagitarum, ad quos delata quæstione cujusdam mulieris, quæ virum, & filium interemerat, postquam compererat juvenem optimæ indolis, quem ex priore viro enixa fuerat, eos occidisse, sapientes Areopagitæ inquit Valer. Max. lib. 8. cap. 1. *inspecta causa accusatorem* & ream post 100. annos ad se reverti jusserunt.

32 Quæres an parricidium sit, si vir uxorem occidat, vel e converso.

33 Respondeo negative cum Farin. dicta qu. 120. num. 131. Matthæo l. c. cap. 2. num. 8. & Oinot. ad §. deinde lex Inst. de pub. Jud. contra Solorzan. de parric. lib. 2. cap. 13. per tot. & alios, quia in dicta L. unica C. de his qui parent. vel fil. occider. non fit mentio de conjugibus, & etiam quia non est par ratio in utroque casu, cum non tanta debeatur reverentia conjugi, quanta patri, nec conjux vitam nobis ut parens impertit.

34 Erit ergo homicidium qualificatum, & fortassis graviore mortis genere puniendum, non vero parricidium.

35 Sicut vero filius occidens patrem, aut matrem parricidii reus est, ita mater filium suffocans, vel occidens; rea enim est infanticidii, & parricidii pœna plecti debet §. alia deinde Inst. de pub. Jud. L. prima vers. sed & mater ff. ad L. Pomp. de parric. Farin. parte 4. prax. crim. quæst. 122. n. 156. quinimo ut refert Harprect. in §. Item, Lex Cornelia Inst. dicto tit. num. 99. in Imp. Romano longæva consuetudine inductum erat, ut mulieres partum suum occidentes vivæ defoderentur, & stipite peracuta transfigerentur, & Monialem, quæ filium suum necaverat, fuisse concrematam testatur Bald. relat. a Farin. quæst. 120. num. 110. & nu. 160. juxta Constit. Caroli V. Imp. præcipitatur mater & submergitur, ut refert Petrus Theodoric. Jud. crim. tom. 2. cap. 7. num. 19. in statu vero Ecclesiastico decapitatur, vel furca suspenditur juxta Clarum §. parricidium num. ult.

Quodsi scisciteris an mulier, quæ 36
infantem suum publice exponat, parricidii pœna, ac reatu teneatur?

Respondeo distinguendo plures ca- 37
sus. Primus est si infans expositus inde mortuus fuerit, quo casu parricidii mater rea erit, ut enim ait Ulp. in L. 15. ff. ad L. Corn. de Sicar. *Nihil interest occidat quis, an mortis causam præbeat*, & dixerat Paul. in L. 4. ff. de lib. agnosc. *Necare videtur, qui abjicit, & alimenta denegat.*

Secundo idem dicas si in solitudine 38
filium exponat feris dilaniandum, vel fame enecandum, quia juxta Lactant. divin. Instit. lib. 7. cap. 20. *non possunt innocentes existimari, qui viscera sua in prædam canibus objiciunt, & quantum in ipsis est, crudelius necant, quam si strangulassent;* & ipsemet Ovid. in epist. Canaces ad Machareum cecinit.

Jamque dari parvum canibusque 39
avibusque nepotem.

Jusserat, in solis destituique lo- 40
cis.

Vagitus dedit ille miser, sensisse 41
putares.

Quaque suum poterat voce roga- 42
bat avum.

Quid

43 Quid mihi tunc animi credis germane fuisse?

44 Nam potes ex animo colligere ipse tuo.

45 Cum mea me coram Sylvas inimicus in altas

46 Viscera montanis ferret edenda Lupis.

47 Tertio eadem pœna capitis mater affligenda est, si etsi non in solitudine, in olla vel vili testa tamen infantem exponat, ita ut vel a prætereuntibus in via premi facile possit, vel tenellus ejusdem spiritus intercludi, juxta Anton. Matthæum de crimin. ad lib. 48. digestorum tit. ultim. cap. 2.

48 Quarto si fœmina metu pudoris, vel ignominiæ adacta, aut egestate pressa partum simpliciter exponat, quo casu si exponat in Xenodochio, aut simili loco publice deputato nulla pœna afficitur juxta Velasc. de privil. pauper. 2. parte quæst. 65. num. 207. si autem alio modo publicæ misericordiæ exponat, pœna extraordinaria puniri debet, Clar. in prax. §. fin. qu. 83. num. 7. cum talis metus non modo timidas puellas, verum etiam constantes viros turbare soleat; si vere ita exponens pater fuerit, patriam potestatem in filium amittit, quæ tamen ab alio numquam acquiritur, ne quidem ab eo qui partum expositum nutriendum susceperit. C. unic. de infant. & languid. exposit. Ita pariter mulier, vel quivis alius, qui in causa fuerit, ut fœmina prægnans abortum faceret, si fœtus erat animatus, ordinaria homicidii pœna est plectendus L. si quis §. qui abortionis, & L. Cicero ff. de pœnis: si vero fœtum nondum animatum abegerit, pœna extraordinaria est puniendus. L. si mulierem ff. ad L. Cornel. de Sicar. & L. Divus ff. de extraord. crim. Primus enim vere hominem occidit, ideoque ei merito pœna homicidii ordinaria est infligenda. Ita Bart. in dicta L. Divus in princ. Farin. dicta q. 122. num. 91. & seqq. & Gomez to. 3. var. ca. 3. num. 32. qui num. 138. ait in dubio ad effectum effugiendi pœnam ordinariam fœtum præsumi inanimatum, sique Clericus id criminis patraverit, irregularitatem etiam incurrit, cap. sicut de homicid.

Quando autem fœtus dicatur animatus, remittendum est peritiæ Physicorum juxta Bart. l. c. num. 1. quorum communior est, quod mares post 40. diem, fœminæ post 80. animentur, ut videre est apud Zacch. quæst. Medicoleg. lib. primo tit. 2. qu. 9. num. 19. & seqq. Farinac. ibid. num. 139. & seq. 49

Advertunt tamen Caball. resol. crim. 160. num. 6. & alii apud Farinac. q. 167. num. 111. quod si hujusmodi delicta essent frequentia in Civitate, ad evitandum scandalum, & tollendam criminum committendorum facilitatem, pœna mortis protrahi posset etiam ad abigentes fœtum non animatum, quam opinionem etiam sequitur Raynald. tom. 1. cap. 6. §. 5. num. 28. & seqq. 50

Hinc Sixtus V. in Constit. incipiente effrænatam inter suas 87. pœnam excommunicationis Summo Pontifici reservatæ inflixit in eos, qui procurant vel quocumque modo cooperantur ad abortum fœtus tum animati, tum inanimati. 51

Quam tamen Constitutionem Gregor. XIV. in Constitutione incipiente: *Sedes Apostolica* inter suas octava, reduxit ad terminos Juris communis, & in parte moderatus fuit ferendo excommunicationem in procurantes tantum abortum fœtus animati, & concedendo facultatem Ordinariis, aliisque ab eo specialiter deputatis, ut in foro conscientiæ a tali excommunicatione absolvere possint; specialiter autem deputati censentur omnes ii, qui habent potestatem absolvendi a censuris reservatis etiam Episcopo, ut asserit Bonac. de Censur disp. 2. quæst. 2. pun. 10. num. 16. qui numer. 3. advertit, quod in aliquibus diœcesibus, & præsertim Mediolani, 52

casus

casus hic est Episcopo reservatus.

53 Mandat etiam ibidem Sixtus V. & hæc pœna non fuit abrogata a Gregorio XIV. quod Clericus hujus delicti reus privandus sit privilegiis clericalibus, dignitatibus, Beneficiis, reddenduque inhabilis ad alia obtinenda, quodque brachio Sæcularis Astreæ tradi debeat, ut ab illa debito supplicio puniatur; novissime vero sanctæ memoriæ Innoc. XI. damnavit hanc propositionem inter damnatas 34. *Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.* Et ratio hujus damnationis reperitur apud S. Antonin. parte 3. tit. 7. c. 2. §. 2. Less. de Just. & Jur. c. 9. dub. 10. n. 60. Sanch. lib. 9. de matrim. disp. 20. n. 10. Card. de Lugo de Justit. & Jur. tom. 1. disp. 10. sect. 6. nu. 131. & Lovarr. in Clem. si furiosus parte 2. §. 3. n. 1. quia abortus fœtus etiam inanimis est peccatum gravius mollitie, seu pollutione voluntaria: sed pollutio non est licita etiam ad vitandam mortem, ego neque abortus fœtus inanimati. Major probatur, quia abortus fœtus etiam inanimis, proximius opponitur generationi, quam pollutio, tum quia fœtus etsi nondum animatus, longe propinquior est naturæ humanæ, quam rude semen effusum, tum etiam quia in pollutione expellitur semen unius generis, idque ex sede non ultima sed instrumentaria, in abortu vero expellitur semen geminum, idque ex sede primaria a natura ad hoc destinata.

54 Rursus idem Sanctissimus Pontifex damnavit hanc aliam propositionem inter suas 35. *Videtur probabile omnem fœtum quamdiu in utero est, carere anima rationali, & tunc primum incipere eamdem habere cum paritur, ac consequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.*

55 Veritas autem propositionis huic contrariæ liquet. Nam vel infusio animæ rationalis requirit totum tempus novem mensium, vel non requirit; si primum, ergo quando infans nascitur quarto, vel septimo mense, caret anima rationali: quod quam ridiculum sit, & absurdum, patet ex infantibus sic immature in lucem editis, evidentia habentibus signa animæ rationalis: si vero dicatur secundum, ergo anima rationalis infunditur ante tempus pariendi.

Quod etiam clarius liquet ex illo Lucæ c. 1. loquentis de Joanne Baptista in utero matris existente. *Ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth, exultavit infans in gaudio in utero ejus*, quæ voces: *Infans, & in gaudio* non possunt convenire animali irrationali. Rursus ibidem Angelus dixit Zachariæ: *Et Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matriæ suæ*, nisi enim habuisset animam rationalem, non potuisset repleri Spiritu Sancto. 56

Ulterius Geneseos cap. 25. & ex Apostolo ad Rom. cap. 9. dicitur de duobus parvulis Esau, & Jacob, qui collidebantur in utero matris, quod nomen parvulorum utique convenire nequit nisi individuis rationalibus; præsertim cum Paulus de iis ibidem inquiat: *Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali*, quod incongrue, & improprie dixisset de subjectis, qui extra uterum, utpote habentes animam rationalem; acturi essent aliquid boni, aut mali, in utero autem ex defectu animæ rationalis id neque agere potuissent potentia remota, cum tamen Paulus intendat loqui de iisdem subjectis in utero tunc clausis, & extra illum postea exituris. 57

Indigna autem est prorsus viro Dialecticæ perito consequentia, quæ infertur in dicta propositione damnata. *Consequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi*; Sicut enim non valeret hoc argumentandi genus: Probabile est Titium esse mortuum, & probabile est adhuc vivere, ergo non sum reus homicidii, si illum pugione 58

transfigam ; vel hoc aliud ; probabile est illud quod a longe video esse feram, non hominem ; & probabile est esse hominem non feram : Ergo si illud sagitta confixero, non ero reus homicidii, ita pessima est consequentia hæc : Probabile est fœtum in utero non esse rationalem ; ergo qui illum lethaliter vulnerat, vel abigit non est reus homicidii ; cum tamen communis sit ac trita apud Theologos regula, quam adducit Suar. disp. 18. de censur. sect. 3. num. 16 *In moralibus ejusdem malitiæ est constituere se voluntarie in mortali periculo, & proximo committendi aliquod crimen, & committere illud.*

CAPUT II.

De Assassinio.

59 MAle opinatus fuit Gemin. in c. 1. §. cum igitur de homicid. in 6. Assassinum ita dici a scindendo, quatenus animam a corpore scindat ; hoc enim commune est cuilibet homicidio ; Assassini namque, ut ex Paulo Emilio lib. 5. de rebus gest. Francorum mutuarunt Decian. tract. crim. lib. 9. cap. 30. num. 1. Menoch. de arbitr. l. 2. Centur. 4. casu 360. n. 41. Covarr. lib. 2. var. cap. 30. num. 10. & alii, erant incolæ Asiæ circa Phœniciam, qui prius Maumethis Sectæ adhæserunt, deinde Christianam legem edocti, se Christianos simulabant. Hi seniorem, quem vocabant Arfacidam, sibi præficiebant, a cujus nutu pendebant toto, immortalitatem se hac de causa assequuturos fore asserentes. Ab eo igitur mittebantur, ad clam occidendos Christianos suo nomini infensos, cum quibus simulate commiscebantur, eosque nihil hujusmodi cogitantes ex inopinato occidebant, multoties pecunia, vel alia re corrupti ad facinus patrandum, mira exinde animi alacritate pœnas ferentes, quas deprehensi gravissimas solvebant, eorumque postea opera, quam pecunia conducebant, plures etiam Christiani antiquitus usi fuerunt ad inimicos suos tollendos : quare nomen hoc Assassinii Juri Civili ignotum fuit, in quo umbra quædam, & larvata species hujus infandi criminis reperitur, sed sub nomine locationis, & conductionis operarum in L. non solum §. si mandato ff. de injur. Prima ergo ejus mentio habita fuit in Canonicis Sanctionibus : Innoc. enim quartus Summus Pont. in Concilio Generali Lugdunensi, cum vidisset suo tempore plures esse, qui ut ipse ait, *sic horrenda inhumanitate, detestandaque sævitia mortem sitiunt aliorum, ut ipsos faciant per assassinos occidi, & non solum corporum, sed mortem etiam procurent animarum*, ita ut Magnates quidam vitæ propriæ consulturi, coacti fuerint securitatem impetrare ab eorumdem Assassinorum domino, primus in eos exarsit, & edidit pulcherrimam, formidandamque Decretalem, quæ refertur in cap. pro humani de homicidio in 6. in qua disposuit, quod quicumque tam sæcularis, quam Ecclesiasticus etiam Prælatus, seu Episcopus quempiam Christianorum per Assassinos interfici fecerit, vel etiam mandaverit, quamquam mors ex hoc non sequatur, vel eos receptaverit, defenderit, aut occultaverit, sententiam excommunicationis & depositionis a dignitate, honore, ordine, officio, & beneficio ipso facto incurrant, ita ut aliis libere dicta beneficia conferri possint, & talis cum omnibus suis bonis sit a toto Christiano populo perpetuo diffidatus, seu bannitus, vel proscriptus, & postquam probabilibus argumentis constiterit aliquem scelus tam execrabile commisisse, nullatenus alia excommunicationis, vel depositionis, aut diffidationis adversus eum sententia requiratur.

Notandum primo hac decretali in- 60
fligi pœnas tantum contra mandantes, quia tunc temporis mandatarii erant

erant infideles, contra quos non poterat excommunicatio ferri, vel alia pœna Ecclesiastica, cæterum nunc temporis eisdem pœnis afficiuntur mandantes, & mandatarii, ut infra patebit ; Ita Diaz in pract. Canon. cap. 101. num. 5.

61 Notandum secundo, probabilius esse, quod Clerici hujus criminis rei privilegia Clericalia non amittant, antequam degradentur, & Curiæ sæculari tradantur, quia licet depositio incurratur ipso Jure, requiritur tamen degradatio actualis, priusquam Clericus a Judice sæculari puniatur. Ita Barb. in dicto cap. 1. num. 13. & Suar. de Censur. disp. 23. sect. 4. num. 46. in fin.

62 Notandum tertio, diffidatum ob dictum atrocissimum delictum, a quolibet privato impune posse offendi, & occidi, tamquam Christianæ Religionis inimicum, ejusque bona mundana omnia a Fisco occupari posse : Ita Barbos. loc. cit. & Farinacc. in prax. crim. parte 5. quæst. 123. num. 8. 12.

63 Notandum quod ab excommunicatione lata in dicto capitulo quilibet Ordinarius absolvere possit, cum eam sibi Papa non reservaverit. Gl. in dicto capite ver. Excommunicationis.

64 Notandum postremo, ex dispositione dicti Textus ad probationem hujus criminis sufficere argumenta probabilia etiam ad effectum incurrendi pœnam ordinariam & capitalem. Diaz. l. c. n. 3. Barb. ibidem n. 20. & Farinac. l. c. nu. 46.

65 Quare ut ait Clar. in prax. §. Assassinium n. 1. Assassinus est, *qui aliquem Christianum occidi pretio mandat alteri, sive Infideli, sive Christiano.*

66 Pœna hujus gravissimi delicti est mors naturalis, utque ait Clar. ibid. n. 4. hodie Assassini per frusta scinduntur, & apud nos prius malleo in capite percutiuntur, licet alibi prius trahantur ad caudam Equi, vel Rota tundantur, vel ignitis forcipibus comburantur juxta Decian. tract. crim. lib. 9. c. 20. n. 31. & Covarr. lib. 2. var. cap. 20. n. 10. & juxta famigeratam Bullam Greg. XIV. Assassini immunitate Ecclesiastica non fruuntur.

Plura autem requiruntur, ut cri- 67
men hoc proprie patratum dicatur.

Primo quod interfectus sit Chri- 68
stianus Jo: And. in dicto c. 1. & Alex. cons. 165. in fin. l. 7. licet ut advertit Clarus l. c. num. 3. occisus in Territorio Christianorum præsumatur Christianus, nisi probet reus illum fuisse infidelem.

Secundo, quod mandatum fuerit 69
datum ad occidendum, non ad vulnerandum tantum. Clar. ib. n. 2. de Marin. resol. quotid. 173. nu. 3. & 4. Farin. con. 99. n. 52. Giurb. cons. crim. 46. nu. 9. Gratian. discept. 598. nu. 10. & discept. 619. n. 1. & seq. Boer. dec. 109. num. 4. Cortiad. dec. 101. num. 14. licet tale mandatum mediante pecunia exequutum gravius puniri debeat, quia delicta pretio commissa graviora putantur L. Cicero ff. de pœn. Gratian. l. c. Cortiad. l. c. nu. 36. & Giurb. ibid. num. 17. & 23.

Tertio, ut interveniat conventio 70
inter mandantem, & mandatarium de danda & accipienda respective pecunia, aut alia mercede pretio æstimabili. Farin. cons. 10. num. 4. Guazzin. defens. reorum 4. cap. 13. num. 6. Conciol. resol. crim. 1. num. 2. ver. Assassinium.

Et ultimo, quod hujus præmii da- 71
ti intuitu, aut saltem ejusdem certa spe Assassinus mandatum exequatur, aut saltem deveniat ad actum effectui proximum. Decian. l. c. num. 41. Mascard. de prob. concl. 138. num. 10. & seqq. Bertazzol. cons. crim. 341. n. 38. ob immanitatem namque hujus criminis punitur in eo conatus, licet res ad exitum perducta non fuerit, ut dicitur in dicto C. pro humani de Homicid. in 6. & ita pluries in praxi servatum fuisse testantur Capyc. Dec. 175. & Chassan. ad consuet. Burgund. fol. 74. post. num. 7.

& fol. 44. num. 11. Clar. l.c. num. 7. qui tamen §. fin. quæst. 92. n. 2. lit. n. & o. ait: *Aut lex, vel Statutum in hujusmodi atrocissimis expresse punit solum conatum, & servanda est, aut non punit expresse conatum, & standum est generali consuetudini, ut conatus non puniatur, nisi sequatur effectus: & hæc opinio judicio meo tutior est. Nihilominus, quia pluries vidi in his casibus diversimode judicari, quandoque puniendo conatum in atrocissimis pœna ordinaria, & quandoque pœna extraordinaria, crederem in practica Judicem posse adhærere cui opinioni maluerit inspecta facti, & personarum qualitate &c. Regulariter autem non debet Judex conatum impunitum relinquere, sed semper aliquam pœnam extra ordinem infligere.*

72 Quæres autem primo, quoad hoc delictum quomodo intelligenda sint verba Text. in dicto C. pro humani: *postquam probabilibus constiterit argumentis, aliquem scelus tam execrabile commisisse.*

73 Respondeo intelligenda fore, ut ad condemnandum ad pœnam ordinariam Assassinum sufficiat, quod per probabilia argumenta delictum probetur ratione immanitatis criminis, ideoque dicta privilegiata probatio cadit tam supra qualitate *Assassinii*, seu pactione, & contractu præcedente, quam supra ejusdem exequutione, seu homicidio, quia Textus illis verbis: *Scelus execrabile*: complectitur totum delictum cum suis qualitatibus; quare cum Lex non distinguat, nec nos debemus distinguere. Ita Ricc. qui plures refert, resol. 36. in principio parte 2. prax. Eccles.

74 Adverte tamen, hæc procedere in terminis dicti cap. pro humani; in terminis enim Bullæ Gregorii XIV. in qua agitur de Assassino ad effectum eum privandi Ecclesiastica immunitate, requiruntur probationes veræ, legitimæ, & concludentes, ut manifeste colligitur ex verbis ejusdem Bullæ ibi: *neque inde abstrahi, Curiæque Sæculari prædictæ consignari, nec tradi possint, nisi cognito prius per Episcopum seu ab eo deputatum, an ipsi vere crimina superius expressa commiserint*; quæ verba *nisi cognito*, & *an ipsi vere* indicant plenam, & concludentem probationem. Ita Bordon de homicid. prodit. nu. 270. & seq. Grasset de nece. proditor. §. 29. n. 44. & Farin. cons. 76. n. 4. & seq. qui plures hujus assertionis rationes affert.

75 Primo, quia capti in Ecclesia habent pro se regulam Ecclesiasticæ immunitatis, C. inter alia, & cap. pen. ac fin. de immunit. Eccl. sed qui habet pro se regulam, habet præsumptionem Juris, L. ab ea parte ff. de probat. ergo qui dicit allegantem non esse comprehensum in regula, debet hoc concludenter probare, cum in sua exceptione evadat actor, & cum reo assistat Juris præsumptio.

76 Secundo, quia qualitas tribuens Jurisdictionem non præsumptive, & per inditia, sed concludenter, est probanda L. consensisse §. sed si dubitetur ff. de Judic. Ergo Curia Sæcularis, quæ petit rei consignationem ab Episcopo propter commissum delictum cum qualitate, debet qualitatem concludenter probare, cum qualitas non præsumatur.

77 Ac ultimo quia dicta Bulla loquitur per modum conditionis, *nisi cognito prius &c.* Et de facto S. Congregatio immunitatis pluries definivit in casu nostro non sufficere processum contumacialem, & concludentem probationem requiri, ut videre est apud Rainald. to. 1. c. 7. §. 1. nu. 65.

Hæc tamen disputatio hodie inutilis est post Constitutionem Sanctissimi D. N. Benedicti XIII. (quem licet ob ejus insignia merita jam dudum Cœlo maturum, diu tamen Terris Deus servet incolumen) incipientem: *Ex quo* inter impressas in Appendice ad Conc. Romanum in ordine 25. qua statuit exclusos esse ab Ecclesiastica immunitate non modo mandatarios in ipsa Gregoriana Constitutione expresse comprehensos, *sed etiam mandantes, qui certum præmium, aut mercedem sive in pecunia, sive in aliis rebus tradiderint, aut promiserint, quamvis promissio nullum habuerit effectum, dummodo Assassinium re ipsa patratum fuerit*: & in eadem Constitutione ab Ecclesiasticæ Immunitatis privilegio perpetuo excludit: *interficientes proximum suum animo præmeditato, & deliberato*, aliosque de quibus suis in sedibus opportunior sermo redibit.

79 Quæres secundo an modicæ rei promissio a mandatario exequuta assassinium faciat?

80 Respondeo affirmative cum veriore sententia apud Carpzovv. pract. crim. parte 1. quæst. 19. num. 42. Farinac. part. 5. offer. crim. qu. 123. num. 34. & Gramm. vot. 9. in prin. & hæc fuit opinio Baldi in L. non ideo in principio ff. de accusat. & Panorm. in C. at si Clerici de judic. quia in dict. C. pro humani habetur respectus in hoc delicto ad ipsum homicidium lucri causa commissum, non ad quantitatem lucri, cum plus, & minus non mutet speciem, imo gravius puniendus videtur, qui ob minimum lucrum tantum facinus patraverit eo, qui maximum commodum sibi pollicebatur. Quare Carpzov. l. c. n. 51. testatur pœnam assassinii duobus fuisse inflictam, qui conduxerant militem ad quemdam occidendum, facta ipsis potestate occisum spoliandi, & res penes ipsum repertas auferendi, & Aretin. cons. 63. num. 16. dicit Archiepiscopum quemdam Florentinum commisisse Assassinium eo quod mandaverat occidi Laurentium Mediceum cum promissione concedendi homicidæ direptionem, aut deprædationem domus dicti Laurentii: In summa vel merces sit certa per se; vel relative ad aliud; puta quia conferatur in arbitrium tertii, vel sit pecunia numerata, vel quodcumque pretio æstimabile puta promittendo mandatario certam puellam in uxorem, vel procurando, ut ei detur officium aliquod, si mandatarius sub hac promissione mandatum executioni demandet, semper Assassinium committitur, quia revera promittitur quidquid prerio æstimabile, & æquipollens pecuniæ. Ita de Franch. Dec. Neap. 176. ibique de Luc. in addit. num. 4. & Cortiad. dec. 95. num. 23. & Novar. pragm. 1. de Assass. col. 2. num. 6. & 7. qui ait Assassinium committi per hæc verba: *Ammazzate il tale, che la Casa mia vi sarà sempre aperta*: vel: *che vi levarò dalla forca*: vel: *che ne farete grazia al Signor tale*: Ita Farin. dicta quæst. 123. num. 145. Conciol. resol. crim. parte 1. nu. 4. v. *Assassinium*.

81 Quæres tertio, an si quis alium occidat ad rem gratam gerendam amico suo, inimico occisi, vel etiam sub spe futuri præmii, & remunerationis, dicatur Assassinus?

82 Respondeo negative cum Alciato Cons. 11. num. 18. lib. 1. Gabr. l. 7. concl. 1. num. 5. ampl. 2. Giurb. cons. 70. n. 59. Farin. dicta quæst. 113. num. 40. Cortiad. dec. 95. num. 19. ratio est, quia ad constituendum assassinium requiritur assensus utriusque, nempe mandantis, & mandatarii, ita ut si contractus fuisset licitus, potuisset mandans cogi ad solvendum ratione mandati. Ita Decian. tract. crim. lib. 9. cap. 30. numer. 16. & 17. Farin. cons. 10. num. 4. Marta de Jurisdictione casu 129. n. 22. quare cum in casu non intervenerit certa pecuniæ, vel alterius rei promissio, non potest dici commissum Assassinium.

83 Quæres quarto, an ad constituendum Assassinium requiratur occisio incauti, quod nempe occisus non habeat occasionem sibi præcavendi ab eo, qui habet mandatum occidendi?

84 Respondeo affirmative cum Covarr. lib. 2. var. c. 20. n. 9. Cyriac. contr. 399. num. 11. Caball. resol. crim. 289. num. 4. Decian. l. c. c. 30. nu. 18. & Farin. dicta quæst. 123. n. 152. quod deducitur ex ipsa litera textus in C. pro humani de homic.

mic. in 6. ibi: *non solum corporum, sed mortem procurent etiam animarum, nisi eos exuberans gratia divina prævenerit*; ex quibus patet, Pontificem intellexisse de occisione incauti, & nihil mali sibi timentis.

85 Ex quo infer primo, quod Assassinus non est, qui propriam injuriam ulciscitur sociis pecunia conductis juxta Cyriac. l. c. Bajard. ad Clar. §. Assassinium n. 5. & Panimoll. dec. 22. annot. 6. nu. 20.

86 Infer secundo, neque Assassinium committi, si quis per Sicarios pecunia conductos occidi faciat inimicum suum, si ipse mandans homicidio interveniat, quia ex inimici sui interventu, occidendus potest cavere ne occidatur. Clar. ibid. num. 5. Panimoll. ibid. num. 21. Gratian. discept. 619. num. 25. nisi tamen mandans intervenerit clam, & occulte, puta mentiendo habitum, aut larvatus: tunc enim occisus non potest sibi præcavere, ut advertit Cavalc. de brachio regio parte prima num. 81.

87 Infer tertio, quod si occidendus suspicatus mandatum circa se datum, evaginato ense in mandatarium irruerit, & hic illum occiderit, excluditur Assassinium, esto mandatarius pecunia conductus fuerit ad occidendum, quia præsumitur occisio facta ad ulciscendam primam injuriam, non vero virtute mandati præcedentis. Ita Cephal. cons. 424. num. 24. & seq. vol. 3.

88 Infer quarto, quod si pater promittat præmium filio, ut suum inimicum occidat; & filius mandatum exequatur, non dicatur Assassinus, quia inimicus Patris debebat habere suspectum filium, & ab eo se tueri. Decian. l. c. num. 18. Farin. loc. cit. num. 152. & Cyriac. l. c. num. 10. 11. regula enim est trita, quod occidens communem inimicum, etiamsi recipiat, & paciscatur præmium, non dicitur Assassinus juxta DD. cit. & Conciol. resol. crim. 2. nu. 4. v. Assassinium.

Infer demum, quod si mediante pecunia occidatur bannitus, Assassinium non committatur, ipse enim debebat sibi præcavere ab omnibus, quia omnes facti sunt exequutores sententiæ circa bannitum latæ juxta dictum Caini Genes. 4. vers. 15. *Omnis qui invenerit me occidet me.* 89

Hactenus dicta constituunt Assassinium in terminis Juris communis; cæterum ubi extent statuta, vel Bannimenta particularia, aliquid speciale disponentia, ea servanda sunt ad tradita per Farinac. dicta quæst. 123. nu. 125. 90

Quæres quinto, quænam sit pœna immanis hujus sceleris? 91

Respondeo esse pœnam ultimi supplicii apud omnes nationes, graviori tamen modo inflictam, quia interventus pecuniæ scelus atrocissimum facit, L. Cicero ff. de pœnis; apud nos enim furca Assassini suspenduntur, æque mandantes, ac mandatarii, & exinde in frusta scinduntur, missis etiam partibus scissis ad locum commissi delicti, vel ad publicas vias, si illud extra urbem patratum fuerit; alibi ad caudam equi trahuntur, & exinde laqueo suspenduntur, ut videre est apud Farinac. l. c. 92

Quæres sexto, an eadem pœna puniantur minores 25. annis? 93

Respondeo affirmative. ob delicti enim atrocitatem non habet in eis locum Text. in L. auxilium §. in delictis ff. de min. Ita Cortiad. dec. Cathalon. 95. num. 35. 94

Quæres septimo, an Clericus in hoc crimine subsit Judici Laico? 95

Respondeo affirmative, quia Clericus ratione hujus delicti amittit ipso Jure privilegium Clericale, & a Judice Laico puniri potest, ut ex Gemin. & aliis in c. 1. de homic. in 6. firmant Decian. Tract. crim. lib. 9. cap. 30. n. 21. & Farin. dicta q. 123. n. 62. 96

Hoc tamen intellige non privative, sed cumulative cum Judice Ecclesiastico, ita ut sit locus præventioni inter utrumque Judicem juxta Fagn. in C. contigit il 2. de sent. excom. n. 24. ubi asserit, quod si Judex Ecclesiasticus prævenerit in cognoscenda causa, & ferenda sententia super crimine, Judex sæcularis quiescere debeat, cum sententia, quævis interim sit, vel absolutoria, vel condemnatoria lata in uno foro, pariat in alio exceptionem rei Judicatæ. 97

98 Ulterius requiritur, quod constet de qualitate Assassinii probabilibus argumentis, puta vel ex notorietate facti, vel Confessione imputati; primo quia qualitas delicti non præsumitur, nisi probetur: secundo ne Iudex Laicus exponat animam suam periculo censurarum, torquendo forsan Clericum innocentem, ut notat in proposito Carol. Ant. de Luc. ad de Franch. dec. 688. num. 12. Merlin. contr. 64. n. 25. Centuria 2. & Caball. resol. crimin. 60.

99 Tertio requiritur, quod præcedat sententia declaratoria Judicis Ecclesiastici supra dicta qualitate Assassinii. Decian. & Farin. l. c. Fagnan. ibid. de Graff. Clericat. effectu 1. n. 711. Guttier. lib. 3. pract. quæst. q. 7. n. 24. & Del Bene de Immunit. Eccl. cit. dub. 5. sect. 2. n. 12. & seqq.

100 Requiritur quarto, quod præcedat Clerici actualis degradatio. Primo, quia nullibi reperitur in Jure cautum, quod Judex Sæcularis possit occidere Clericum antequam sit degradatus: secundo, quia Clericus, quantumvis grave crimen committat, est in potestate Ecclesiastica, donec ab ea ejiciatur. Ita Farin. dicta quæst. 123. num. 63. Pegna 3. parte director. com. 49. §. præterea dico, & Carrera pract. crim. in 3. tract. de homic. & assass. §. circa itaque num. 62. Clericus namque non amittit privilegium Clericale ipso Iure ante actualem, & realem degradationem, per quam Curiæ Sæculari tradatur, Barb. in c. primo nu. 13. de homic. in 6. & Suar. disp. 23. de Censur. sect. 4. n. 46. in fin.

101 Quamvis enim text. in dicto cap. pro humani inquiat, Clericum assassinum *incurrere sententias ipso facto, & postquam probabilibus constiterit argumentis aliquem scelus tam execrabile commisisse, nullatenus alia excommunicationis, vel depositionis, aut diffidationis adversum eum sententia requiratur*, id tamen accipiendum est de depositione verbali, seu amissione privilegiorum Clericalium, non de actuali, seu degradatione, quæ necessario prærequiritur, ut Clericus a Judice Sæculari morti tradi queat.

Hactenus de assassinio, homicidio scilicet commisso de mandato qualificato, nempe cum qualitate assassinii ei adjecta: datur autem aliud ipsi affine homicidium, patratum cum mandato simplici, illo scilicet, quod datur & recipitur absque interventu pecuniæ, seu alterius rei. 102

Et hoc quoque mandatum simplex sequuto homicidio puniri debet pœna ordinaria Legis Corneliæ de Sicariis, nempe morte naturali, tam in mandante, quam in mandatario, L. non ideo minus C. de accusat. & Farinac. cum concordan. quæst. 135. num. 1. homicidio autem non sequuto, puniendum est pœna extraordinaria juxta generalem Orbis consuetudinem. Farinac. quæst. 124. num. 78. & seq. & Cortiad. dec. 92. n. 30. nisi bannimenta, vel statuta particularia contrarium disponant, ut videre est apud Raynald. to. 1. cap. 7. §. 2. & 3. n. 7. & seqq. 103

Requisita autem ad hoc homicidium sunt eadem, quæ supra attulimus loquentes de assassinio, dummodo excipias interventum pecuniæ, seu alterius certæ rei. 104

Quæres autem, an si mandatarius excedat fines mandati, mandans de excessu teneatur. 105

Respondeo cum distinctione: *vel* mandans mandavit inferri vulnus cum armis aptis ad necandum, & sequuto homicidio debet puniri pœna ordinaria, quia debebat cogitare, quod vulnera non possunt dari ad mensuram, 106

ram, quodve in impetu illo percutiendi, mandatarius servare non poterat fines mandati; vel mandavit vulnerari armis non aptis ad necandum, & tunc mandans teneri non debet de homicidio præter intentionem ejus patrato. Ita Caball. de omni gener. homicid. nu. 266. Gomez. var. tit. de homic. quæst. 18. Conciol. resol. crim. 10. n. 1. & seq.

Idemque dicas de mandante ut infligantur vulnera v. g. Titio, quia si mors vulnerati sequatur, puniendus erit pœna ordinaria, vulnera enim infligi nequeunt, nisi sica, gladio, aut armis aptis ad occidendum. Conciol. loc. cit. n. 7. secus autem si jusserit verberari, aut mere corrigi aliquem, quia ejuscemodi fieri solent alapa, baculo, arundine &c. & sic instrumentis per se ad occidendum ineptis, licet mors ex accidenti inde sequi possit. Clar. quæst. 89. vers. pone aliquis, & Caball. l. c.

107 Ac idem dici potest de mandante mandatario, ut aliquem signet in facie, nigrumque ei Theta infligat; id enim fieri potest cum novacula, vel cultro parvo ad aptandum calamum, & cum vitro, & sic ex hac generalitate mandati, videtur excusandus mandans a pœna ordinaria, etiamsi mors inde obveniat, Clar. loc. cit. Vermigliol. cons. crim. 24. n. 2. & cons. 29. n. 8.

Dantur etiam & aliæ homicidii species, nempe ex insidiis, cum nempe quis in loco positus, qui ab inimico prævideri verisimiliter non poterat, expectat ibi inimicum animo eum occidendi, ibique advenientem ex improviso aggreditur & interficit: Ita etiam dari potest homicidium proditorium, cum scilicet aliquis nulla præcedente inimicitia alium interficit, puta, quia vel sit socius itineris, vel quia sederet cum illo in mensa, vel ejus amicum se fingeret, juxta Bart. in L. respiciendum §. delinquunt nu. 1. ff. de pœn. & Gloss. quæ plura proditionis affert exempla in Can. Clericus il primo verbo proditionibus dist. 46. cujus quidem delicti pœna furca est, & alicubi proditor ad caudam equi per vias publicas trahitur juxta Bajard. ad Clar. §. homicidium n. 28. 108

TITULUS VII.

De Crimine Falsi.

1 FAlsi crimen est *actus dolosus animo corrumpendæ veritatis ad decipiendum alium adhibitus*, juxta Perez ad Instit. Imperial. Lib. 4. h. t. in princ.

2 Quare ad crimen hæc tria requiruntur. Primo ut pervertatur veritas. Secundo ut hoc dolo mala fiat, sine quo crimen hoc non committitur, L. nec ad exemplum C. ad L. Cornel. de falsis. Tertio ut falsitas fiat cum notabili damno alterius, ita ut alteri noceat, vel nocere possit: Ita Mascard. de probat. Concl. 739. numer. 12.

3 Judicium hoc publicum est, & fluit ex Lege Cornelia de falsis, quæ a L. Cornelio Sylla Dictatore lata fuit de testamentis L. 2. §. capta ff. de orig. Jur. unde & in multis locis Juris testamentaria dicitur §. item Lex Cornelia de falsis Inst. de publ. Jud. & L. 30. ff. ad L. Cornel. de fals.

Hoc autem crimen præcipue fit consensu, verbis, scriptis, abusu, & facto. 4

Consensu falsum committitur, quando quis alium per contractus circumvenit, & fallit, veluti si diversis contractibus eamdem rem duobus in solidum vendiderit, vel rem alienam scienter distraxerit, L. qui duobus ff. ad L. Cornel. de fals. 5

Quod tamen primo non procedit, 6 quo-

quotiescumque is qui rem 2. loco emit, perspectum habuit eam fuisse prius alteri venditam, tunc enim venditor nulla pœna erit afficiendus, cum volenti, & consentienti non fiat iniuria nec dolus. Cap. scienti de Reg. Jur. in 6.

7 Secundo, quando venditor a primo emptore pretium tempore debito non fuit consequutus, nam tunc impune alteri vendere potest. Salyc. & alij in L. quoties C. de rei vend. Marsil. in dicta L. qui duobus num. 8. ff. ad L. Cornel. de fals. vel si prima conditio ipso Jure nulla fuerit. Alex. Cons. 81. Col. 5. lib. 3. Menoch. de arbitr. l. 2. quæst. 381. numer. 19. & ratio est, quia cum Jus vult, vendentem eamdem rem duobus coerceri pœna falsi, de venditione accipienda est, quæ Jure subsistat.

8 Quid si aliquis rem alienam scienter pignori tradiderit, utrum pœnam falsi subeat?

9 Resp. negative: aut enim Text. in L. fin. ff. de Crim. Stellion. *De perjurio, si sua pignora esse quis in instrumento juravit, Stellionatus fit: & ideo ad tempus exulat*; non ergo tenetur crimine falsi, Stellionatus enim crimen, ut habetur in L. 3. §. 10. ff. dicto Tit. tunc fit, cum alterius criminis legitimi seu ordinarii titulus deficit. Ita Farinac. in tract. Crim. parte 6. lib. 5. quæst. 150. num. 229.

10 Idemque statuas de Tabellario literas fidei suæ commissas non transportante ad locum, quo transferre promiserat, cum id non faciat animo corrumpendæ veritatis, sed potius tædio longioris itineris, aut gratia sumptibus parcendi, quamvis enim fingendo se literas pertulisse mentiatur, non tamen hoc crimen committit, quia pœnam falsi mendacium regulariter non meretur, L. quid sit in falsum in fin. ff. ad L. Cornel. de fals.

11 Quodnam ergo nomen hujus criminis erit?

12 Respondeo Stellionatus; ubicumque enim Titulus facinoris deficit, ibi Stellionatus perpetrari dicitur L. 3. §. 1. ff. de Crim. Stellion.

Verbis, seu dictis committitur primo hoc delictum a Judice qui pecunia corruptus, vel alias dolo malo legibus contrariam sententiam tulerit. L. 3. ff. ad L. Jul. repetund. prout late diximus sub Tit. de Crimin. Repetundarum. 13

Secundo committitur a Teste, qui sciens, & volens dolo malo in Judicio falsum testimonium dixerit L. prima ff. ad L. Corn. de fals. L. nullum C. de testibus, vel eo, qui interrogatus in Judicio de re aliqua, veritatem subticuit, quam sciebat, seq. nihil scire affirmavit, Cap. primo de Crimin. fals. ubi S. Aug. ita inquit. *Uterque reus est, & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit, quia & ille prodesse non vult, & iste nocere desiderat.* 14

An autem testis, qui pecuniam accepit, ne testimonium contra aliquem diceret, pœna falsi puniendus sit? 15

Respondeo affirmative per Text. L. prima §. sed & si quis ff. ad L. Cornel. de fals. quamvis enim hoc casu non proprie falsum, sed aliud crimen committatur, tamen non raro accidit, ut diversa delicta iisdem pœnis plectantur. 16

Quod si quæras an pœna falsi pariter afficiendus sit testis, qui testimonij dicendi gratia accepit pecuniam, & verum etiam testimonium dixit? 17

Respondeo affirmative cum Bart. in dicta L. prima §. primo ff. ad L. Corn. de fals. Abb. in dicto cap. 1. de Crim. fals. & Felin. in cap. licet Causam num. 30. de probat., ac Mysing. cent. sexta obs. 67. Ratio est quia in dicta L. prima §. sed & si quis ff. ad L. Cornel. de fals. generaliter statuitur pœna falsi eum puniendum esse, qui pecuniam accepit pro testimonio dicendo. Et ratio rationis est, quia testificatio libera esse debet, non pretio, aut suffragiis emendicata: venale quippe testimonium, 18

non est testimonium veritatis, Can. nolite timere 11. quæst. 3. & Can. non sane 14. quæst. 5. & quod ære fit, cum sponte fieri debeat, turpiter fieri dicitur; nec movet ratio DD. dissentientium, nempe Covarr. in C. quamvis prima parte delect. §. 7. num. 5. de pact. in 6. & Menoch. de arbitr. casu 310. num. 6. & seq. quod nempe testis, qui pretium accipit pro vero testimonio dicendo, non immutet veritatem, quin eam potius confirmet.

19 Nam ex hac ratione id tantum colligitur, falsum in specie ista non committi, minime vero inde sequitur, delictum illud, quantumvis falsum non sit, pœna falsi coercendum non esse; etenim sæpe diversa delicta iisdem gravissimis pœnis in Jure puniuntur; licet igitur hoc crimen falsum non sit, cum tamen sit turpissimum, & pessimi exempli, quod nempe veritas ope pecuniæ pandatur, & quasi puella honestissima publice venui exponatur, merito eadem pœna, qua falsum, vindicari debet.

20 Quæri etiam potest quanam pœna puniendus sit testis, qui in judicio deposuit contrarium ei, quod extra judicium affirmaverat.

21 Communior opinio est, hunc testem non falsi pœna, sed mitius, & extra ordinem fore puniendum. Ita Bald. in C. 1. §. si enim. Col. 2. Tit. quid sit investitura de Feud. Clar. §. falsum nu. 5. & Covar. l. c. num. 5. Ratio est, quia cum nulla Lege demonstretur pœnam falsi hoc casu ejusmodi testem incurrere, id non est affirmandum, erubescimus enim sine Lege loqui, præsertim in pœnalibus.

22 Idemque asseras, si testis falsum dicat in his, quæ accessoria sunt, nec ad substantiam actus pertinent, & ratio est, quia falsitas non punitur, si contingat in his, quæ sive vera, sive falsa sint, nemini nocere queunt, Menoch. lib. 2. de arbit. casu 307. Gaill. lib. 1. obs. 109. num. 7.

23 Quod si testis in publico Judicio ob falsum testimonium a se probatum fecerit, ut innocens capite plecteretur, & ipse Lege Cornelia de Sicariis capitis pœnam subire debebit per text. in L. 1. §. 1. ff. ad L. Cornel. de Sicar. Caball. Resol. Crimin. casu 165.

Idemque dicas, si non in publico, 24
sed privato Judicio capitali, in quo nempe accusatio non cuilibet de populo, sed parti tantum læsæ a Jure est permissa, falsum deposuerit, ex quo innocens pœnam mortis subierit; eadem enim pœna testis ejuscemodi falsarius est plectendus, quia cum causa mortis innocenti attulerit, est eidem quoque pœna capitis irroganda; esto enim dicta Lex 1. §. loc. cit. loquatur de Judicio publico non privato, tamen ratio, & mens, seu anima, & medulla Legis spectandæ magis sunt, quam verba ipsa, sicut enim anima dominatur corpori, ita ratio, seu mens Legis dominatur verbis. Ita Angelus ad dictam L. 1. §. 1, ff, ad L. Cornel. de falsi.

Jam vero tertio crimen falsitatis 25
scriptis committitur, puta si quis falsa Instrumenta componat aut dictet, aut Instrumenta, Registra, rationes, acta, libellos, cautiones, Chirographa, epistolas scienter, & dolo malo in fraudem alterius lædat, corrumpat depravet, muret, adiiciat, demat, radat, deleat, falsè subscribat, falsa sigilla appendat, aut dolose aliorum Chirographa imitetur, Rescriptum a Principe, seu Magistratu corrumpat, nomine Magistratus falsas literas proponat, aut tradat, annulum adulterinum sculpat, aliudve id genus faciat, quo rei veritas, vel non appareat, vel immutetur L. 1, L. 2. L. 23. L. 30. & alibi sparsim ff. ad L. Cornel. de falsi. & late Farinac. Tract. Crim. parte 6. lib. 5. quæst. 150. numer. 165. & seqq.

Quid autem dicendum si Instrumen- 26
tum non corruptum, vel mutatum, sed mere surreptum fuerit, vel amotum, habebit ne locum pœna falsi?

Respondeo quod amotione testa- 27
menti falsi pœna incurratur per Text. in L. 1. ff. ad L. Cornel. de falsi. & L. ult. C. eodem; amotione vero aliorum Instrumentorum crimen falsi publicum non committi, disponit Paulus in L. Instrumentorum in princip. ff. dicto titulo; Et ratio diversitatis est, quia sola lex judicium publicum facit L. 1. ff. de pub. Jud. atqui Lege Cornelia de testamentis solummodo surreptis, non de aliis Instrumentis amotis cavetur; Ergo &c.

28 Surripientes tamen alia Instrumenta pœna falsi extra ordinem plectentur, aut furti actione conveniri poterunt: Ita Vvesembec. in paratit. ff. dicto Tit. n. 7.

29 An autem surreptiore Testamenti nuncupativi pœna ordinaria falsi incurratur, DD. disputant; verior autem est sententia affirmativa, quia Lex generaliter loquitur ob Testamentum amotum militare pœnam ordinariam falsi, ideoque generaliter est audienda.

30 Nec obstat quod in testamento nuncupativo adsint testes, qui testatoris voluntatem, etiam sublato Instrumento, probare possint.

31 Quia cum facile testes oblivisci potuerint eorum, quæ a Testatore audierunt, vel e vivis decedere, per ablationem Instrumenti hujusmodi veritas facillime supprimi potest.

32 Principaliter autem scripto falsarius est notarius, falsum conficiens Instrumentum, dolose aliquid addens, vel minuens, aut immutans, vel ante publicationem dicta testium secreta partibus revelans, contractum illicitum faciens, aut debitas solemnitates in Testamento omittens juxta Clar. in prax. Crim. §. falsum num. 21. & seqq.

33 Hinc quæritur an si Notarius super contractu per se invalido falsum confecerit Instrumentum, ut falsarius plecti debeat?

34 Affirmative respondent Bart. in L. si quis Legatum. num. 2. in fin. ff. dicto Tit. & Bald. Cons. 294. Col. 1. lib. 1. Ratio est, quia facit quod potuit, ut falsitas effectum haberet: quamvis autem alii contrarium probabiliter asserant ea ratione, quia ad ordinariam falsi pœnam incurrendam requiritur ut falsitas damnum alicui afferre possit juxta Clar. loc. cit. num. 35. quare cum contractus hujusmodi sit nullus, & inutilis, ex eo nulli damnum potest afferri, & ideo hujusmodi Instrumentum conficiens pœnam falsi ordinariam subire non debet.

Quarto jam per abusum falsum 35
committitur ab eo, qui sciens, dolo malo falsis testimoniis, vel falsis ab alio fabricatis Instrumentis utitur L. falsi nominis §. primo ff. ad L. Cornel. de falsi. & L. majorem, & L. si falsos Cod. eodem. Hoc tamen interest inter componentem falsum instrumentum, & eo scienter utentem, quod componens pœnam ordinariam falsi incurrat (quæ erat antiquitus deportatio cum publicatione bonorum) hodie vero quia deportationibus non utimur, vel erit pœna Statutaria, aut bannimentalis, si adsint statuta localia, vel Principis placita pœnam statuentia; aut erit arbitrio Judicis infligenda pro modo delicti, teste Clar. loc. cit. num. 40. utens vero tantum scienter falso Instrumento, extra ordinem, & mitiori pœna sit puniendus, L. prima & dicta L. falsi ff. dicto Tit.

Est etiam & aliud discrimen inter 36
unum, & alium casum, quod nempe falsum Instrumentum conficiens falsi pœnam non evitet, quamvis eo usus non fuerit, & profiteatur se in posterum usurum non fore. Contra vero qui Instrumentum falsum ab alio confectum produxit, eoque uti cœpit, a falsi pœna liberetur, si pœnitentia ductus ab ejus Instrumenti usu desistat, eique plene renuntiet. Text. est literalis in L. si falsos 8. Cod. ad L. Cornel. de falsi. dummodo pendente lite, vel per appellationem suspensa id faciat, quia ante

litis exitum delictum non dicitur consummatum, nec perfecte litigans usus fuisse dicitur tali Instrumento. Ita Bald. in L. alia num. 7. Cod. de his quibus ut indignis. Menoch. de arbitr. lib. 2. cas. 315. num. 29. Alex. cons. 108. num. 9. lib. 6. & Cravett. cons. 46. num. 11.

37 Abusu etiam falsi reus est qui malitiose, & fraudolenter utitur falsis, seu adulterinis mensuris, ulnis, libris, ponderibus, stateris, & similibus rebus; mitius tamen punitur, quam pœna ordinaria falsi, scilicet, duplo, ac relegatione, seu exilio L. penult. §. 1. ff. ad L. Cornel. de fals. L. annonam §. fin. ff. de extraordin. Crimin. L. in Dardanarios ff. de pœn. & late Farinacc. de falsit. quæst. 150. num. 76.

38 Fallorum Titulorum, & honorum assumptio, falsi nominis, vel cognominis asseveratio, si alterius decipiendi causa fiat, pœna falsi coercetur, puta si se quis gesserit pro Comite, Nobili, Doctore, Notario &c. cum non sit; itemque qui alienis insignibus scienter, & dolose usus fuerit, vel alieno, & adulterino sigillo, quive personam in alterius fraudem mentitus fuerit, in pœnam falsi incidet. L. falsi, L. eos qui §. fin. ff. dicto tit. L. unica, ibique DD. Cod. de mutat. nomin. Menoch. late loc. cit. cas. 318.

39 Quinto, reus est hujus criminis qui aperit alienas literas, ut eas ostendat adversario scribentis. Ita Bart in L. Titio num. 3. ff. ad municip.

40 Sexto, impediens testari volentem in crimen falsi incidit, L. Paulus ff. dicto Tit. & Socin. Jun. Cons. 148. num. 1. lib. 2. extraordinaria tamen pœna arbitrio Judicis puniendus juxta Clar. loc. cit. nu. 36.

41 Jam vero facto committit falsum quisquis scripturas, Testamenta, Acta Judicialia, Partitas, & Libros mercatorum subripit, occultat, corrumpit, abradit, vel cancellat in præjudicium alterius, nec non qui aufert a scripturis hujusmodi sigillum verum, & ponit adulterinum L. 30. ff. dicto Tit.

Secundo, falsaria est mulier fin- 42
gens ex se natum fœtum, qui natus ab ea non est. L. ex illa Cod. eod.

Potissime vero facto committitur 43
falsum a falsæ monetæ fabricatoribus.

Committitur autem hoc delictum septem modis, nempe cudendo monetam, adulterando, resecando, expendendo, retinendo, introducendo, & tingendo, idque in urbe vigore Statuti, & Bannimentorum in statu Ecclesiastico, & colligitur ex L. quicumque & L. qui falsam ff. ad L. Cornel. de fals.

Primus igitur qui monetam cudit, 44
quamvis sit justi ponderis, & bonæ materiæ, non habens tamen legitimam hanc facultatem, ultimi supplicii & ignis pœna, postquam strangulatus fuerit, puniendus est, quæ a Jure Communi imponitur falsam monetam fabricantibus una cum publicatione omnium bonorum, L. 2. Cod. de fals. monet. Ratio est quia ita cudens monetam falso assumit, & usurpat sibi Principis auctoritatem, cujus tantum est vires dare nummis, atque tribuere per Text. in L. prima ff. de contrah. empt. ad monetam enim, ut ait Bald. in L. fin. C. de falsa moneta, duo requiruntur, nempe veritas, & auctoritas, idque etiamsi moneta quam cudit, non sit summi Pontificis, Imperatoris, aut alterius Principis superiorem non recognoscentis, quia adhuc læditur Majestas Principis, cujus Majestatis tantum est dare monetæ justæ pondus, & auctoritatem. Ita Farinac. q. 115. n. 69. & seq. Menoch. de arbitr. cas. 316. nu. 27. & seq. & Caball. resol. Crimin. 27. n. 3.

Secundo, hujus delicti reus est, & 45
pœnæ mortis naturalis objiciendus qui monetam ex vitiosa materia conflet, & non bonæ quantitatis, vel justi

justi ponderis, quamvis falsificaverit monetas alterius dominij, quod in statu Ecclesiastico cerrum est vigore Bannimentorum, & ex constitutione Caroli V. in Germania certum pariter esse testatur Carpzov. pract. Crim. quæst. 42. num. 32. quia usus monetæ est de Jure gentium, dicta L. prima ff. de contrah. emptione, Jus autem gentium omnibus gentibus commune est. §. Jus autem Instit. de Jure nat. gent. & civ. Et monetæ unius Regionis, etiam in alia propter commerciorum communem usum expendi solent.

47 Tertio, reus hujus criminis est monetarum aurearum, & argentearum, vel cujusvis alterius qualitatis, tonsor, & diminutor, vel id agat Instrumentis ferreis, vel pulveribus, vel aqua, quam fortem, seu corrodentem dicunt. L. quicumque ff. ad L. Cornel. de fals. Clar. loc. cit. nu. 47. & ad eum Bajard. num. 325. hic enim vigore Bannimentorum in statu Ecclesiastico pœna mortis non evadet, & consonat Bulla S. Pii V. inter suas 115. quam Urbanus VIII. Constit. in ord. 5. extendit ad personas Ecclesiasticas intra Italiam existentes.

48 Quod tamen non procederet, si moneta resecata erat excessiva, & fuerit ad justum pondus redacta, testibus Bajard. l. c. num. 326. & Farin. quæst. 115. nu. 109. & 110. vel si non fuerit expensa, quia tondens pœnitentia ductus eam miserit ad officinam publicam pro cudenda moneta a Principe destinatam, quam Romæ vernacule dicimus *la Zecca*, Farinac. l. c. n. 93. & Bertazz. cons. 552. nu. 3. lib. 2.

49 Quartus patrandi hujus delicti modus est erogatio facta scienter falsæ monetæ, cujuscumque interim ea fuerit qualitatis, qui modus tamen præfefert vigore Bannimentorum nostrorum, & etiam Juris communis pœnam Judici arbitrariam, & extraordinem. Ita Mans. cons. 281. n. 33. Tom. 3. Barbos. de pot. Epis. parte 3. alleg. 51. num. 64. & seqq.

Et licet relata Bulla Urbani VIII. 50
pœnam mortis naturalis imponere videatur expendentibus, seu expendere facientibus, nihilominus neque in terminis dictæ Bullæ est a prædicta Conclusione recedendum, nisi in casu, quo expendens, fuerit particeps falsæ fabricationis, quasi cudentes monetam falsam non cudissent, nisi eum qui expenderet habuissent: tunc enim mirum non est si eadem pœna expendens, tamquam auxiliator puniatur. Ita Farinac. loc. cit. numer. 117. & seq. Menoch. casu 316. nu. 51. Conciol. Resol. crim. v. Moneta Res. 4. num. 15. Vel in casu, quo quis monetam falsam scienter expenderit in Territorio ejusdem Principis, cujus moneta falsificata fuit: Ita Mans. Consult. 281. num. 34. Tom. 3. & Marsil. cons. 71. n. 11.

Quintus modus est tetentio mone- 51
tæ falsæ, quæ concurrente scientia retentoris secum fert pœnam extraordinariam etiam in terminis Juris communis, Farin. loc. cit. n. 118. & 119.

Bannimenta autem nostra disponunt 52
ita retinentem habendum fore pro inditiato, quod ipse eamdem monetam falsam fabricaverit, nisi doceat, a quo, seu in quo loco eam habuerit, nisi tamen qualitas personæ, & aliæ circumstantiæ contrarium suadeant juxta Farinac. ubi supra; poterit enim hujusmodi sciens retentor evacuato per Torturam inditio quod fuerit fabricator, pœna extraordinaria puniri, quia præsumitur retinuisse ad effectum expendendi, nam si ignoraverit monetam esse falsam debet absolvi. Farinac. loc. cit. & Conciol. Crim. Resol. 3. verbo moneta falsa num. 1.

Sextus modus est introductio fal- 53
sæ monetæ, quæ scienter facta usque ad mortem pertingere potest: parum enim refert, quod quis Rempublicam, & alienam ditionem inficiat cum fabricatione vel cum introductione falsæ monetæ.

Bart. vero in L. eleganter §. qui 54
repro-

reprobos ff. de pignor. act. plures casus distinguit.

55 Primus est in eo qui v. g. introducit monetam in comitatum Bononiensem, quam ipse extra talem comitatum cuderat, & hic debet puniri ut falsarius Leg. 1. C. de falsa moneta.

56 Secundus qui introducit monetam fabricatam extra dictum Comitatum verb. gr. ab alio, sed ipse eam scienter expendit, illaque in dicto Comitatu dolose utitur, qui etiam pœna falsi tenetur L. si uteris C. de fide Instrum. & L. 3. C. si reus vel accusat &c.

57 Tertius in eo, qui monetam falsam introducit, sed ea non utitur, & fatetur a quonam illam habuerit, hicque pœna falsi non tenetur L. Majorem C. de falsis, si tamen illam ignoranter introduxerit, secus si scienter eam secum tulerit, nam hoc casu etiam mercatores, qui emunt, & vendunt, puniri debent juxta Farinac. dicta q. 115. nu. 130.

58 Quartus casus est in eo, qui falsam monetam introducit, ea in Comitatu non utitur, sed dicere renuit a quo illam habuerit, tunc enim in carcerem est detrudendus, L. 2. §. Divus Pius ff. de Jure fisci, si enim perfricta fronte authorem pandere recusat a quo habuit, præsumitur ejusdem fabricator dolosus, & torqueri poterit, ut authorem nominet, & dicat, & postea pro introductione falsæ monetæ puniri poterit juxta Salyc. in L. majorem C. de falsis, & Boss. Tit. de falsa moneta num. 3.

59 Septimus modus rem nummariam fraudandi est tinctura, puta quod moneta Ærea in totum flavo, vel albo colore tingatur, ut aurea, vel argentea æstimetur, vel argentea flavo colore tingatur, ut appareat aurea, & ita tingentes etiam de Jure communi pœna falsi, & ultimo supplicio sunt afficiendi gl. in C. quanto verb. defraudata, de Jurejur. ibique Hostiens. num. 4. & Abb. num 5. Farin. dicta q. 115. num. 54. & Bajard. ad Clar. §. falsum num. 320. dummodo tamen tinctura facta sit dolo malo, nam deaurans moneras argenteas ut meretricem deludat non punirerur juxta Bertazzol. cons. Crim. 56. & dummodo moneta sic tincta expensa fuerit, nam effectu non sequuto, non videtur imponenda pœna ordinaria ad Text. in L. quicumque ff. ad L. Cornel. de falsi.

Adest hac in re Bulla Urbani 8. citata, confirmatoria alterius S. Pii V. mandans Clericos, qui hoc delictum in Italia perpetraverint in pecuniis aureis, vel argenteis, fore degradandos, & Curiæ sæculari tradendos, ut ultimo supplicio afficiantur. 60

Advertendum jam primo, pœnam combustionis contra monetarios falsos recessisse ab aula in Urbe, & statu Ecclesiastico, vigente tantum pœna mortis naturalis juxta Raynald. Tom. 1. c. 5. §. 1. ad 3. num 32. in fin. 61

Advertendum secundo, quod qui facti pœnitens monetam, quam percussit, non perfecerit, materiam conficiens, sed forma, & imagine adhuc non impressa, mitiori pœna quam mortis puniendus sit. L. qui falsam ff. ad L. Corneliam de fals. Decian. in prax. rerum Crim. lib. 7. c. 27. n. 7. Bald. in L. 3. ff. de nautic. fœn. & cons. 38. lib. 1. 62

Advertendum tertio, etiam qui monetam vilissimi valoris, puta obolos falsos cuderit, pœna mortis fore puniendum juxta Farin. parte 5. operum Crimin. lib. 4. quæst. dicta 115. inspect. 1. num. 91. & Giurb. cons. 85. Ratio est, quia cudens monetam falsam læsæ majestatis crimen committit L. 2. C. de fals. moneta, propterea quod Principi suam potestatem detrahere, eamque sibi vindicare contendit: is ergo, qui monetam levis pretii absque legitima Principis licentia cudit, æque in crimen læsæ majestatis incidit, ac si monetam magni valoris excudisset. 63

Nec obstat Text. in L. scio ff. de 64

in integrum Restit. L. si quis affirmavit cum duabus LL. seqq. ff. de dolo malo, & alibi, in quibus statuitur dispositionem Legis, qua sub pœna aliquid fieri prohibetur, rem modicam, & levissimi valoris non comprehendere.

65 Nam ista jura loquuntur in delicto, quod punitur ob damnum alteri datum, quod, si minimum sit, pœnam non meretur: secus autem est si factum aliquod coercetur, non modo propter detrimentum alteri collatum, sed etiam ob injuriam, & contemptum; tunc enim licet injuria sit levis, adhuc delinquens punitur: Ita si emphiteuta obligatus ad solvendum tenuissimum Canonem, justo legitimoque tempore non solverit, æque Emphiteusi privatur, ac ille, qui magnum Canonem non solverit, idque ob hanc rationem, quia non minus censetur contemnere dominum rei directum, qui in solutione exigui Canonis cessat, quam qui magni; quare cum majestas Principis violetur tam a levissimam monetam falsam cudente, quam pretiosiorem, æque uterque delinquens læsæ majestatis reus sit, pœnamque subire debet crimini læsæ majestatis a Jure statutam, nempe mortis naturalis.

66 Advertendum 4. quod si quis non falsam monetam expenderit pro majore valore, & æstimatione, quam legibus definitum est, non pœna falsi, sed arbitraria sit puniendus, Bajard. ad Clar. l. c. nu. ultimo.

67 Advertendum quinto, quod hoc crimen falsi quoad monetas contineat primo crimen læsæ Majestatis L. si quis nummos C. de falsa monet. secundo crimen falsi juxta Marsil. in L. qui falsam num. 19. C. ad L. Cornel. de fals. tertio crimen furti juxta Farin. loc. cit. num. 99. in fin. ita ut hujusmodi delinquens teneatur in foro conscientiæ & Principi, & singulis, qui damnum passi fuerint, illud compensare juxta Sylv. in tum. v. falsarius qu. 6. n. 7. & Theologos passim.

Advertendum sexto, in Extrav. 68
spondent unic. de Crim. fals. statuere Pontificem Joannem XXII. ut Alchimistæ, qui divitias, quas non exhibent, spondent, & verbis dissimulant falsitatem, confingentes aurum, vel argentum sophistica transmutatione; si illo scienter usi fuerint vendendo, vel dando in solutum, cogantur tantumdem auri, vel argenti, quantum fuerit alchimicum pauperibus erogare, sintque perpetua infamia notati talis artis alchimicæ mendacissimi professores: & si non habeant propter inopiam unde pauperibus tribuant, carcere, vel alia corporali pœna arbitrio Judicis puniri debent, sique sint Clerici, priventur Beneficiis, & ad alia obtinenda reddantur inhabiles. Ratio est quia cum juxta S. Thom. 2. 2. qu. 75. art. 3. ad 1. aurum vel argentum ab Alchimistis conflatum vera species non sit auri, vel argenti, est fraudulenta, & injusta ejusdem venditio, vel facta pro auro, & argento vero subrogatio; cumque hæc alchimiæ in aurum, vel argentum verum transmutatio moraliter saltem sit impossibilis, jure merito sacris Canonibus sub pœnarum commination vetita fuit, cumquoque sit perniciosa Reipublicæ, utpote quæ Civium exhaurit facultates juxta Sanch. lib. 2. moral. cap. 40. num. 51.

Advertendum septimo pœnam falsi non incurrisse eum, qui falsitatem nemini aptam nocere commisit, quia ut pœna ordinaria in hoc delicto locum habeat, requiritur quod falsitas possit alicui præjudicium inferre Gloss. in L. damus v. privatum C. de falsis. Clar. tamen dicto §. falsum numer. 44. censet etiam falsitatem non nocibilem committentem, arbitrio Judicis extra ordinem puniendum fore. 69

Quærunt DD. hic passim, an introducens, vel expendens aurum alchimice factum subeat pœnam statutam contra falsæ monetæ fabricato- 70

res, vel est, qui eam falsam expendunt.

71 Putant negative relati a Farinacc. dicta quæst. 115. num. 98. & a Raynald. Tom. 1. cap. 5. §. 4. & 5. num. 1. & seq. si per alchimiam fiat aurum verum, quod fieri posse plures autumant ex D. Thom. 2. 2. qu. 77. art. 7. Alchimia enim idem est, ac ars transmutatoria, qua perficitur id, quod natura imperfectum reliquit; natura enim, quæ semper tendit ad perfectionem, quando in locis terræ lapidosis incipit formare plumbum, stannum, & alia metalla, vult ea ad perfectionem ducere, qua fulget aurum, sed ex accidenti non valet, & hinc Alchimistæ ajunt quod ars incipere debet ubi desinit natura.

72 Verius tamen est Alchimistas esse sumi venditores, quare ait Joannes XXII. in Extrav. spondent de Crimin. fals. *spondent quas non exhibent divitias pauperes Alchimistæ, & verbis dissimulant falsitatem, quam faciunt confingentes aurum, vel argentum &c.* ac statuit eos, qui hujusmodi aurum, vel argentum secerint, vel scienter illud conficientibus ministraverint, aut auro, vel argento ab iis sic conflato scienter usi fuerint vendendo, vel dando, in solidum cogantur tantumdem veri auri, vel argenti, quantum fuerit alchimisticum, in publicum pauperibus erogare, sintque perpetua infamia notati qui tale aurum chimicum secerint, aut eo scienter usi fuerint, quive ex eo cuderint, fecerintque cudi pecuniam. Et si non habeant unde prædictas pœnas propter inopiam solvere possint, alia corporali pœna juxta arbitrium Judicis puniantur; Et si sint Clerici, ultra prædictas pœnas priventur Beneficiis habitis, & ad alia habenda prorsus reddantur inhabiles. Rationem reddit S. Thom. 2. 2. quæst. 77. art. 2. ad 1. *Si aurum vel argentum ab Alchimicis factum veram speciem non habeat auri & argenti, est fraudolenta & injusta venditio, præsertim cum sint aliquæ utilitates auri, & argenti veri secundum naturalem operationem, quæ non conveniunt auro per Alchimiam sophisticato, sicut quod habet proprietatem lætificandi, & contra quasdam infirmitates medicinaliter juvat:* Sunt verba S. Doctoris.

Cæterum sive per artem Alchi- 73
micam vere possint viliora metalla transmutari in aurum, & argentum, sive non, recte tamen illa prohibita fuit in dicta Extrav. Un. & quidem sub gravibus pœnis, quia hujusmodi transmutatio adeo difficilis est, ut moraliter impossibilis censeri debeat, & est insuper perniciosa Reipublicæ, cum civium facultates exhauriat, ut perennis, & quotidiana docuit, & docet experientia, Ita Sanch. lib. 2. moral. c. 40. nu. 51. & Pirringh. in 7. lib. Decretal. Tit. 20. §. 8. nu. 43. §. porro,

TITULUS VIII.

De vi publica, & privata.

1 JUdicium publicum de vi publica, & privata, Lege a Julio Cæsare lata inductum fuit, ut liquet ex Ciceronis Philippica prima.

2 Publica vis olim dicebatur quæ personis publicis, seu aliqua potestate publica præditis inferebatur contra jus, & fas: privata, quam privatis hominibus quis inferebat ex S. Isidoro lib. 5. Etymolog. c. 26.

3 Verum hodie vis publica est impetus factus cum armis, voluntatem cogens invitam.

4 Et primo committitur ab eo, qui ad facinus patrandum arma retinet. Dixi *ad facinus patrandum*, si enim gerat illa causa venationis, vel itineris, nullius prorsus criminis reus est ad Text. in L. 1. ff. ad L. Juliam de vi publ.

5 Secundo, committitur ab eo, qui ædes alienas per vim ingrediens, easdem expugnat, & destruit L. hi qui Ædes ff. dicto Titulo.

6 Tertio, qui hominibus armatis, & armis munitus, possessorem ex agro, domo, vel navi sua dejecerit, incendia excitaverit, fructus devastaverit, & segetes L. 3. ff. eodem, vel homines ad id agendum convocaverit L. 4. ff. dicto Tit.

7 Quod si quis aliquid ex supradictis patrare auserit, per vim quidem, sed absque armis, esto cum convocatis hominibus, reus erit vis privatæ L. si quis ff. ad L Jul. de vi privata. Privata enim vis est, qua quis inermis per vim securitatem privatam violat §. item Lex Julia Just. de publ. Jud. cum vis privata semper sine armis inferri debeat, publica non item, quamvis & ipsa aliquando sine armis inferri possit, ut in casibus sequentibus.

8 Primo, ab eo, qui turbæ, ac seditionis consilium init. L. 3. ff. ad L. Jul. de vi pub.

Secundo, qui ex incendio aliquid rapit dicta L. 3. §. item tenetur. 9

Tertio, qui hominem dolo malo includit, facitve quominus quis sepeliatur, vel per vim sibi aliquem obligat: L. qui cætum ff. dicto Titulo. 10

Quarto, qui impedit quominus Judicia tuto, & Jure exerceantur: L. qui dolo ff. eod. 11

Olim vim publicam inferens deportationis pœna afficiebatur, vis autem privatæ reus mulctabatur publicatione tertiæ bonorum partis juxta Text. in §. Item Lex Julia Inst. de pub. Judic. quam moderatus fuit Text. in Auth. Bona damnatorum Cod. de bonis proscriptorum, quæ reorum bona confiscari vetuit existentibus liberis, vel parentibus usque ad tertium gradum; nunc vero ad mentem Clari lib. 5. sentent. §. fin. quæst. 83. nu. 4. utramque vim committens punitur arbitrio Judicis, quod usque ad mortem aliquando extendi potest L. Lex Julia ff. ad L. Jul. repetund. 12

Interim nos operæ pretium ducimus subnectere hic crimen, quod committitur, pœnaque quæ incurritur ob delationem armorum, cum vis publica ex dictis absque armis non irrogetur. 13

Esto igitur sub armorum prohibita delatione non veniant de rigore Juris nisi arma offensiva, non autem defensiva, attamen in Urbe, & statu Ecclesiastico vigore bannimentorum, expresse prohibita etiam est delatio armorum defensibilium Teste Farinacc. de variis, ac diversis criminibus quæstion. 108. numer. 74. in fin. 14

15 Attamen nullus potest inficiari, quin contraria consuetudo armorum delationem quandoque permittat. Decianus in Tract. Crimin. lib. 8. cap. 3. num. 60.

16 Quapropter testatur Farinac. loc. cit. num. 52. & 53. quod licet a Bulla *Pii V.* incipiente *cum vices ejus* in ord. 145. imponatur pœna mortis, & læsæ Majestatis ferentibus pugiones, & cultellos cum cuspide majores uno palmo, & minores tribus, attamen juxta praxim, & bannimenta Urbis, non solet pro hujusmodi breviorum armorum delatione gravior imponi pœna, quam vel pecuniaria, vel trium ictuum funis, vel ad summum aliquando etiam Triremium per quinquennium.

17 Quid si autem aliquis deferat arma quidem, sed ligata, incurret pœnam arma deferentibus comminatam?

18 Respondeo quod pœnam ordinariam non incurret, cum cesset in eo per hujusmodi inutilem veluti delationem, animus offendendi, qui puniri solet pœna consueta, sed si aliquis in Civitate manens, quotidie hujusmodi arma ligata deferret, non posset pœnam extraordinariam evitare, cum aliquo modo prohibitionem superioris contemnere videatur. Ita Decianus in Tract. Crimin. lib. 8. cap. 3. num. 56.

19 Quinimo neque armis ligatis incedens a pœna ordinaria delationis armorum abiret immunis, nisi quando adeo ligata arma deferret, ut vel ad offendendum essent omnino inepta, vel saltem non nisi cum difficultate apta, ita ut non possent ad libitum ferentis dissolvi, alias esset inventa fraus prohibitioni deferendorum armorum, ut optime advertit idem Decianus ubi supra num. 57.

20 Sed quæro numquid Forensis petens locum aliquem, ubi delatio armorum prohibita reperiatur, si arma deferat, pœnam statutam arma ferentibus incurrat?

Respondeo cum distinctione: quod si pœna statuta sit pecunia vel corporis leviter afflictiva, v. g. ictuum funis, incurri possit a dictis ferentibus, secus vero si sit pœna gravis, ut confiscationis bonorum, ultimi supplicii, vel Triremium, mitius enim ob probabilem ignorantiam cum Forensibus agendum venit, teste Farin. dicta quæst. 108. num. 17. & 18. 21

Et hic in Urbe, ac in Statu ecclesiastico ad hoc, ut pœnam delationis armorum Forenses incurrant, debent prius certiorari de prohibitione a portarum custodibus, vel ab hospitibus, in quorum hospitio morantur, qui propterea sub pœna tenentur de his forenses certos reddere, & Edicta delationis armorum affixa publice habere in hospitiis, vel portis juxta bannimenta Urbis emanata de anno 1591. cap. 17. & Bannimenta generalia Status Ecclesiastici edita de anno 1599. cap. 25. 22

Retinens tamen domi suæ arma, vel in ejus ostio armatus stans, non fit reus pœnæ delationis armorum. Bursat. cons. 141. num. 37. in fin. & seqq. 23

Limitatur tamen hæc conclusio in terminis Bullæ Pii IV. incipientis *cum vices ejus* in ordine 49. ubi prohibet non solum deferre, sed etiam retinere, vendere, emere, vel quovis alio titulo recipere, & habere sub pœna vitæ, & confiscationis bonorum, tormentula ignea vulgariter *Archibusetti* brevioris mensuræ duobus palmis de canna. 24

Limitatur secundo, in armis etiam illis brevibus, quæ vulgo *Stilletti* dicuntur: id generis enim arma retinere etiam domi prohibemur sub pœna vitæ, & confiscationis bonorum vigore bannimentorum Urbis editorum de anno 1591. cap. 13. 25

Advertendum tamen, quod nisi probetur dominum domus, ubi id generis arma prohibita retinentur, scienter ea domi recepisse, stante legitima ignorantia, hujusmodi retentio punibilis non sit. Bursatt. cons. 331. num. 55. 26

27 Quod si aliquis arma venenata deferat, gravius puniendus est, quam gerens non venenata juxta Farinac. plureſque penes ipsum ubi supra nu. 51. & revera gravius delinquit occidens hominem veneno, quam gladio, adeoque venenans duo patrat crimina, & homicidii, & proditionis, ab illis enim ut plurimum venenum porrigitur, quibus homo tamquam amicis, vel familiaribus utebatur. Ita Bajard. ad Clar. lib. 5. sentent. §. fin. qu. 68. num. 124. & 125.

28 Arma autem, cum quibus quis fuerit inventus, acquirentur Barisello, & familiæ illa invenienti, ut scilicet prædæ cupidine ducta, diligentior evadat in hujusmodi reis indagandis. Farinacc. loc. cit. num. 11.

29 Exceptis tantum armis brevioris mensuræ tribus palmis, & specialiter illis, quæ vernacula lingua appellantur *Stilletti*, & tormenticulis igneis, vulgo *Archibusetti*, prohibitis in relatis Bullis Pij IV. & B. Pij V. quæ nec ipsi Justitiæ exequutores ullatenus deferre possunt teste Farinacc. ibid. num. 164. Imo nec officiales eorumque familia, sicuti nec familia, famulique Episcoporum, & Officiales, famuli, & familiares Inquisitorum hæreticæ pravitatis, quibus licitum est alias arma deferre, arma brevia superius enumerata impune deferre queunt. Farinacc. dicto loco nu. 100. & seqq.

Advertite tamen, prohibitionem hanc delationis armorum intelligendam esse ut debet, nempe quod locum non habeat, si quis deferat cultrum, vel gladium parvulum, aptum v. g. ad incidendum panem, vel calamos acuendos, vel ad quid simile, dummodo ferat animo nulli nocendi, & hujusmodi armorum ope nulli vere nocumentum attulerit. Farinacc. ibid. num. 77. & seqq. 30

Advertite ulterius, sub generali prohibitione delationis armorum, comprehendi etiam mulieres; fortem namque fœminam Proverb. cap. 31. describens sapientissimus Salomon, inquit: *manum suam misit ad fortia, & digiti ejus apprehenderunt fusum*. Audistis? hæc sunt arma mulierum. 31

Advertendum demum, quod si in statutis, vel legibus vis mentio fiat, vis in dubio privata; non publica intelligatur, pœnæ enim molliendæ sunt, non asperandæ. L. si præses ff. de pœn. & Decian. Tract. Crimin. l. 7. cap. 1. num. 10. & cap. 20. num. 12. 32

TITULUS IX.

De Plagio, & Plagiariis.

1 PLagium *est liberi hominis, vel servi alieni suppressio dolo malo facta* L. 3. 4. & 6. ff. ad L. Fabiam de plagiariis L. 2. 5. 9. & 14. C. eod.

2 Hoc Judicium descendit a L. Fabia de plagiariis, quamvis adhuc sub Judice lis sit an illud proveniat a L. Fabia, Flavia, vel Favia juxta Gothofred. ad Rub. C. ad L. Fab. de plagiarum.

3 Dicitur ita a voce Græca *Plagios*, quæ non solum transverse, seu oblique, sed etiam dolose sonat.

Committitur igitur hoc crimen primo, si liber homo, qui sui Juris sit, surripiatur, vel abducatur ab alio animo celandi illum, quem vel invitum tenet, vel emit, vel vendidit. 4

Secundo, si quis servum alienum dolo malo adducit, celat, vel retinet. L. 1. & seq. ff. ad L. Fab. de plagiarum. 5

Venditionis autem verbo, omnes contractus, per quos dominium transfertur, comprehenduntur, ut donatio, permutatio &c. L. 4. ff. eod. 6

7 Si autem liberi in parentum potestate constituti, furripiantur, non plagium, sed furtum committitur §. interdum Instit. de obligat. quæ ex delicto &c. ideoque patri furti actio competit. L. eum qui §. si filius familias ff. de furtis, non autem matri, quæ eos in potestate non habet. L. mater ff. eod.

8 Limitatur unice hæc dispositio in Patre ipso, qui suprema egestate famisque necessitate ad filium distrahendum adigeretur, hoc enim ipsi licet tamquam unus ex effectibus Patriæ potestatis. 5. L. 2. C. de patribus, qui filios distraxere &c. quod tamen Jus matri non competit, quæ patria potestate in filios caret, & cujus imbecille Judicium non est æquiparandum paterno prudentiori, qui in hujus Juris usurpatione cavebit, ne nimis rigidus, & durus existat. Gloss. & DD. in dicta L. 2.

9 Sicuti autem filii naturales alieni, si furripiantur, plagium patratur, ita etiam si filii mentales: ii enim, qui libros ab aliis compositos sibi supponunt, plagiarii dicuntur juxta Gonzal. c. 1. de furtis num. 5.

10 Quod si quæras, quænam pœna hoc delictum persequatur?

11 Dico primo, de Jure Civili ex ipsa L. Fabia pœna fuit pecuniaria, L. Lege Fabia ff. de manumissionibus; deinde fuit imposita pœna gravior, nempe metalli, vel exilii, eaque hodie est legitima plagii pœna L. ultima ff. & C. dicto Tit. quæ etiam potest extendi ad pœnam capitalem, seu mortis per Text. in §. est & inter publica Inst. de publ. Jud. nempe si plagiarius vendat servum, vel hominem liberum suppressum emptori id scienti, qui cum alio asportet L. quoniam C. dicto Tit. vel si filium alterius patre adhuc superstite supprimat dicta L. ultima: reus enim ejusdem delicti, & pœnæ est, tam plagiarius, qui scienter vendidit quam emptor, qui sciens emit. L. 1. ff. dicto Tit.

Dico secundo, Jure Divino Legis veteris, qui sciens hominem liberum vendit morte punitur; Deuter. enim cap. 24. vers. 7. ita scriptum est: *Si deprehensus fuerit homo sollicitans fratrem suum de filiis Israel, & vendito eo acceperit pretium, interficietur, & auferes malum de medio tui*: Et Exodi cap. 21. vers. 17. *Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eum, convictus noxæ morte moriatur*; Qui textus transcriptus est inter Decretales Gregorii IX. cap. 1. de Furtis, ad quod cap. Abbas num. 2. advertit sub Rubrica illius Tituli illud locatum fuisse, ut sciatur furantes homines liberos acriter esse puniendos, cum secundum Legem divinam antiquam puniendi sint morte, quamvis in Foro Ecclesiastico puniri acriter debeant, sed citra mortem, quia Ecclesia pœnam sanguinis infligere non potest cap. in Archiepiscopatu de Raptoribus. 12

Vel etiam dici potest cum Pirringhio *in Decretal. lib. 5. Tit. 18. §. 5. num. 37.* & Gonzal. loc. cit. num. 7. quod in dicto cap. per mortem intelligatur excommunicatio, quæ est quasi mors Civilis, cum per illam quis velut mortuus a communione fidelium excludatur. Cap. per venialem, qui filii sint legitimi: ita ut Judex Ecclesiasticus possit plagiarios excommunicare, quamvis sint laici cum quoad hoc crimen subjecti sint Jurisdictioni Judicis Ecclesiastici, quia per illud detrahitur Christianæ Religioni juxta Abb. in dicto cap. 1. de furt. in fin. vel per illam mortem in Clerico plagiario venire potest depositio ab ordine, & officio, quæ est quædam mors Civilis, quamvis possit in aliquo casu gravi Judex Ecclesiasticus plagiarium furantem hominem liberum tradere Curiæ sæculari morte puniendum, adjuncta tamen consueta protestatione, ne pœna mortis, vel mutilationis ei inferatur. Ita Pirringh. loc. cit. 13

Crimen hoc furtum non est, quia 14 per-

persona libera in nullius est dominio §. idem Juris Inst. de inutil. stipul. sed est quasi furtum, ideoque plagium proprie vocatur, non enim tam significamus rem furreptam esse alterius, quam subripientis non esse propriam. Ita Gonzal. loc. cit. dicto n. 7. in principio.

15 Ex quibus infer, Principes, & Magnates, qui donant sibi invicem pigmæos, cantores, moriones, & similes, non dici plagiarios, quia non dant illos, ut priventur libertate, sed donant, ut liberi maneant apud donatarium, sicuti liberi erant apud donantem. Ita Bart. in L. 4. ff. ad L. Fab. de plagiarum & Abb. in c. 1. de furtis in princ.

TITULUS X.

De Furtis.

1 DElictum crumenis invisum, ob assiduam delinquentium frequentiam orbi propemodum familiare, furtum scilicet, præsenti titulo destinamus in scopum.

2 Furtum igitur est *contrectatio fraudolosa rei alienæ mobilis, & corporalis causa lucrifaciendi vel ipsam rem, vel ejus usum, vel possessionem, rationabiliter invito Domino facta.* Colligitur hæc definitio ex L. 1. ff. de furtis.

3 Plurimas furti ethimologias refert Text. in §. furtum Instit. de oblig. quæ ex delicto nascuntur, nempe quod ita dicatur, vel a furvo seu nigro, eo quod clam, & obscure hujusmodi delictum soleat perpetrari, & sæpe sæpius nocturnis tenebris tuti fures obambulent, vel a fraude, sine qua crimen hoc fieri nequit, vel a ferendo, seu auferendo, vel verius a Græco sermone, quo *phor* idem reddit ac fur latine.

4 Nos autem descendamus ad cernuum relatæ definitionis examen. Dicitur primo furtum *contrectatio* vox denotans causam formalem furti, quæ est actualis amotio, & ablatio rei, quia sola cogitatio faciendi furti furem non facit: dicta L. prima ff. de furtis.

5 Dicitur secundo, *fraudolosa*, quod ostendit causam furti efficientem, scilicet dolum: sine enim dolo, improboque furandi animo, nemo furti reus dicitur, adeoque si quis clam res alienas auferret putans per errorem esse suas, fur non deberet appellari.

Dicitur tertio, *rei alienæ mobilis & corporalis*, quæ verba important causam materialem furti: si enim quis auferret sibi rem suam, putans eam esse alienam, cum vere esset propria auferentis, adhuc furtum non committeret; prævalet enim semper plus quod est in veritate, quam quod in opinione: præterea rei immobilis nemo fur esse potest, cum hæc moveri nequeat de loco ad locum, & per consequens super illa non cadat contrectatio: Res autem incorporales, & Jura, cum nulli externo sensui subdantur, quonam modo poterunt auferri? 6

Dicitur quarto, *causa lucrifaciendi*. Et hæc est causa finalis furti, adeoque si quis alteri v. g. Equum subtrahat animo illi iniuriam inferendi, & ad præcisam invidiam, non tenebitur illi actione furtiva, sed actione iniuriarum, vel simili. L. qui iniuriæ in princ. ff. h. Tit. 7

Et quia vel ex ipsa re, vel ex usu, vel ex possessione ejusdem lucrum possumus adipisci, ideo fur est qui rem ipsam surreptam vult lucrifacere, vel qui usum tantum illius, ut esset creditor, qui uteretur ad lucrum pignore sibi a suo debitore tradito; pignus enim, ut de illo agentes diximus in tertia parte Inst. Civilium, 8

da-

datur in præcisam crediti assecurationem, non autem ad usum, vel demum qui aufert alteri possessionem rei, puta si proprietarius possessionem rei mobilis in usumfructum concessæ auferret ipsi usufructuario juxta gl. in l. prima in verbo *possessionis* ff. de furtis.

9 Dicitur ultimo *rationabiliter invito Domino facta*, quia Domino consentiente, ut res sua auferatur, auferens fur non est; *quis enim voluntatem Domini habens fur dici potest?* ait text. in L. qui vas ff. de furtis v. *qui enim voluntatem*; Et ad excludendum furtum satis est, quod quis rem alienam subtrahat putans Dominum fore id permissurum. L. inter omnes §. recte ff. hoc tit.

10 Debent tamen intervenire tales conjecturæ, ex quibus argui possit præsumpta Domini consensuri voluntas, puta si rem contrectans sit arcto necessitudinis, vel consanguitatis vinculo ei, cui subripuit, adstrictus, & ipse surripiens homo honestus, notæque famæ, quæ conjecturæ an suffragari possint spectat Judicis arbitrio dignoscere. Menoch. de arbitr. casu 298. nu 2. 3.

11 Quapropter Lessius lib. 2. cap. 12. num. 41. & alii plures ex Theologis moralibus, lethalis culpæ reatum incurrere negant pauperes illos, qui vindemiæ tempore uvæ notabilem quantitatem sibi comparant, auferendo modicam a singulis vineis, eo quia domini illarum, si nossent conditionem miseram hujus uvam auferentis, pietatis stimulis concitati, facilem dictæ ablationi præbuissent assensum.

12 Advertite tamen, me adjunxisse in definitione furti ly *rationabiliter invito Domino*, quia si irrationabiliter Dominus dissentiat, adhuc ei aliquid surripiens, furtum non committet; v. g. si quis existat in extrema necessitate constitutus, & alterius rem arripiat, ut propriæ subveniat indigentiæ, vel si quis auferat alicui gladium, ne alium injuste occidat, aut uxor subtrahat pecuniam viro, ne eam inter ludendum dilapidet &c. consulite Bonacinam de restitutione in genere disp. 2. quæst. 8. punct. 1. prop. 1. num. 1. vers. *dicitur Domino*.

Jam vero prima furum divisio est 13
in manifestos, & in non manifestos. Fur manifestus ille est, qui vel deprehenditur in flagranti crimine, scilicet in ipso actu furandi, vel antequam egrediatur loco, ubi furtum commisit, vel priusquam rem furto subtractam deferat ad locum destinatum, deprehenditur, aut acclamatur in furem: Quare e contra fur non manifestus erit qui, vel inscii aliis rem furatam quo voluit detulit, vel saltem deprehenditur cum re furtiva postquam eam ad statutum locum transtulerat. Text. est in §. furtorum Inst. de oblig. quæ ex delicto nascuntur.

Pœna, quæ olim de Jure commu- 14
ni Cæsareo furtum persequebatur, erat, ut si furtum fuisset manifestum, præter rem ablatam solveretur quadruplum: Si non manifestum duplum §. pœna & §. ult. Inst. de oblig. quæ ex delicto &c. quia furtum manifestum majorem arguit in reo impudentiam, & aliis scandalosum evadit, ideo gravius est puniendum, nunc vero temporis imponi solet pœna varia correspondens furtorum varietati; pro primo enim furto imponi solet pœna arbitraria Judici, & extraordinaria, nempe vel fustigationis, vel trium ictuum tunis, vel exilii juxta Farin. quæst. de furt. 167. n. 37.

Et hæc conclusio procedit, esto pri- 15
mum furtum sit rei magni valoris juxta mitiorem, adeoque sequendam in praxi sententiam, de qua testatur maxima DD. turba penes Clar. lib. 5. sententiarum §. furtum nu. 9. Adeoque talem furem sufficienter puniri ait Farin. loc. cit. nu. 47. in fin. si damnetur ad Triremes, vel perpetuo, vel per decennium.

An

16 An autem furtum modicum, vel magnum dicendum sit, crederem arbitrio Judicis fore remittendum juxta Menoch. de arbitr. cas. 295. numer. 10.

17 Advertendum tamen est, quod si quis coadunatis armatis hominibus, fracto ostio alienæ domus, in eam per vim fuerit ingressus, & furatus, licet id furtum unicum esset, adhuc ob armatorum coadunationem pœna mortis esset affligendus, juxta Farin. ubi supra num. 23.

18 Pro secundo pariter furto sicuti pro primo imponenda non est pœna mortis, licet imponenda sit gravior pœna, quam pro unico, testibus Bald. Fulgos. Salycet. & aliis in Auth. sed novo Jure C. de servis fugitivis.

19 Fures autem famosi, scilicet qui tria, vel plura furta patraverint, si furta fuerint non modicæ quantitatis, vel alia qualitas aggravans advenerit, furca suspenduntur: alias ex usu, & praxi, vel fustigantur; & exulare jubentur, vel ad Triremes arbitrio Judicis condemnantur, ut sentit Farin. toties cit. in toties pariter citato loco num. 50.

20 In casibus autem, in quibus fur hujusmodi qui tria furta commiserit ultimo supplicio sit afficiendus, adhuc eo afficiendus est, vel pro anterioribus furtis punitus, & damnatus fuerit, vel non, quia illa faciunt numerum non ad puniendum, sed aggravandum tertium delictum. Clar. in laud. §. furtum num. 12.

21 Advertendum tamen, quod ut hæc pœna mortis locum habeat, requiratur quod tria furta sint distincta re, & tempore.

22 Hinc si quis plures res eodem tempore subtraxisset, diceretur unicum furtum commisisse, adeoque pœna mortis non foret affligendus; sicuti pariter hanc pœnam evaderet, qui eadem nocte successive diversas res, vel ex eodem, vel variis locis, diverso etiam tempore, sed continuato abstulisset; adhuc enim unum furtum diceretur commisisse. Consulite Farinac. ibid. a num. 71.

Latrones autem publici, illi scili- 23
cet, qui non clam, sed palam, & publice audacter, & sæpius res alienas subtraxerunt, furca suspendendi sunt. Farin. ibid. a num. 89.

Vocat jam nos ad se improbum ex- 24
pilatorum agmen, quorum multiplex est species; Alii enim sunt qui noctu vestes, vel aliquas, vel omnes diripiunt, quos vulgo appellamus *Cappeggiatori*.

Alii sunt qui quædam adeo calli- 25
de, & paulatim subtrahunt, ut vix dominus furtum animadvertat, quos vulgo dicimus *Borsaroli*, & hi omnes expilatores puniuntur pœna arbitraria Judici teste Angelo in Auth. sed novo Jure numer. 5. Cod. de servis fugitivis.

Verumtamen vigore Statuti Urbis 26
lib. 2. cap. 58. si hujusmodi expilatores dicti *Cappeggiatori* bis de nocte violenter per viam obambulantes spoliaverint, pœna furcarum plectendi sunt.

Pœna pariter extraordinaria coer- 27
cendi sunt expilatores hæreditatis jacentis, ejus scilicet hæreditatis, quæ nondum fuit adita juxta text. in L. 1. ff. de Crimine expilatæ hæreditatis, quia vere expilatores hujusmodi inter furos recenseri nequeunt: nam si aliquid ex hæreditate jacente subtrahant, non dicuntur id facere invito Domino, cum hæreditas utpote possessore carens, & Domino careat ad Text. in L. 2. ff. Tit. mox cit.

Dantur etiam alij fures, qui Abi- 28
gei nuncupatur a verbo *abigere*, quod significat *ducere seorsim ab aliis*, hique sunt qui integrum gregem abigunt; Gregem inquam, decem scilicet oves, vel capras (tot enim capita requiruntur ad conficiendum gregem minutiorum hujusmodi animalium), vel quatuor porcos, aut equos, ex tot enim grandioribus animalibus grex unus resultat juxta Gl.

in

in L. 1. in verbo qui pecora ff. de abigeis.

29 Secundo hoc crimen committit qui singula animalia, quæ sui natura gregatim pascuntur v. g. unam ovem, Bovem, vel Equum unum furatur, vel interim ex ipso Grege, vel ex stabulo, vel ex agro, aut silva illa subtrahat.

30 Et si hujusmodi fures ita pecora abigere soleant, ut abigeatus artem exerceant, de Jure communi ultimo supplicio plectendi sunt Text. est in L. 1. & 2. ff. de abigeis; quod si non frequenter hoc crimen patraverint, ad opus publicum damnantur dicta L. prima in principio, sique honestiores personæ sint, relegantur, nisi tamen armis pecora abegerint; tunc enim pœna ordinaria plectendi sunt dicta L. 1. §. quamquam, id quod a fortiori procedit si e stabulis pecus abegerint, & cum effractione stabuli furtum commiserint L. ultima §. 1. ff. eod. furtum siquidem, quod cum effractione fit, gravius punitur eo, quod sine effractione patratur. L. 1. ff. de effractoribus & Harprect. ad §. pœna Instit. de oblig. quæ ex delicto nascuntur num. 108. & 109.

31 Ultra varias pœnas corporis afflictivas hactenus enumeratas, quæ fures insequuntur, datur etiam alia pœna, qua fures omnes proprie tales plectuntur, quod scilicet evadant infames ad Text. in Can. infames 6. qu. 1. & L. si furti C. ex quibus causis infamia irrogatur.

32 Præterea debent fures restituere quod subtraxerunt, & siquidem plures furtum commiserint, in solidum ad restitutionem tenentur: verum tamen est, quod uno solvente alii liberantur; tamen totum solvens, ab aliis pro rata quod solvit valet repetere. Gomez var. Resol. Tom. 3. cap. 1. num. 88. Imo tenetur etiam fur reficere ei, cui rem subtraxit, impensas omnes ab ipso factas in quærenda re sibi furtim subtracta. Ita Bajard. ad Clar. §. furtum citato n. 74. Quoties enim ex aliquo delicto alicui est damnum illatum, id est a delinquentibus resarciendum: quæ regula omnino furi adhæreat memoriæ.

Sunt tamen & aliqui casus, in quibus fur impunis abire queat a furti pœna. 33

Primus est si filius furetur patri; 34 licet enim furtum patretur, quia res paterna proprie non est filii, contra ipsum tamen actio furti nequit intentari, quia non potest dari actio contra se ipsum; pater autem, & filius censentur una, & eadem persona: Text. est in §. ii qui Instit. de oblig. quæ ex delicto: nisi si filius habeat peculium Castrense, vel quasi: tunc enim actione utili eum pater convenire poterit. L. si quis uxori §. sed si filius ff. de furtis.

Verum tamen est, ut ait laudatus 35 §. quod opem, vel consilium præstantes filio familias furanti de furto teneantur, quia in illis non militat ratio excusans filium familias a furti pœna; ubi autem eadem ratio non viget, nec idem Jus est statuendum; Ita etiam si uxor furetur viro constante matrimonio, vel vir uxori, non datur actio furti ob honorem matrimonii, sed tantum actio rerum amotarum: dicta L. si quis, & L. prima ff. de act. rerum amotarum.

Pariter, & secundo, qui in extre- 36 ma necessitate est constitutus, reus furti non est, si aliquid surripiat, quia tunc omnia sunt communia, adeoque non accipit alienum, sed proprium. Dicitur autem in extrema necessitate constitutus, qui non habet omnino necessaria ad victum, & vestitum, ita ut de facili vitæ vel gravis morbi discrimen sit subiturus.

Advertendum tamen, quod si do- 37 minus rei laboraret æquali necessitate qua volens surripere, tunc licite hic rem subtrahere non posset, in pari enim causa melior est conditio possidentis. Ita D. Thom. 2. 2. quæst. 66. art. 7.

Sed

38 Sed obiicies. In extrema necessitate non licet mentiri, ergo nec furari licebit.

39 Respondeo concedendo Antecedens, & negando consequens, & disparitas stat in hoc, quod mendacium cum sui natura sit intrinsece malum, per hoc quod dicatur in extrema necessitate, non desinit esse malum essentialiter; desinit autem propter extremam necessitatem furtum esse surripere aliquid, quia tunc res illa surrepta, quæ erat aliena, mutatur, & transit in communem.

40 Non sic autem se res habet in gravi necessitate, quæ dicitur esse, tunc cum quis non habet necessaria propria statui, & conditioni: quia si in gravi tantum hac, non autem extrema necessitate existens quis rem alteri subtrahat, vere furtum committet, alias daretur manus furtis impune patrandis; plurimi enim, ut alienas res libere contrectare possent, se facile fingerent gravi necessitate laborantes: Ita Bonacin. de restitutione in genere disput. 2. quæst. 8. punct. 3. numer. 5.

41 Quamvis mitior, & probabilior sit contraria opinio, quod nempe quis in vere valde gravi necessitate constitutus, & si extrema non sit, ut si urgeat necessitas gravis morbi, famis, vel nuditatis, possit clanculum a divitibus res surripere, si aliter gravi illi necessitati occurrere nequeat: quia cum dives in tali casu teneatur ex præcepto Charitatis dare, consequenter pauper potest sine injuria id accipere, nec committit furtum, quia Dominus tenetur consentire, nec potest rationabiliter esse invitus, Less. de Just. & Jur. lib. 2. cap. 2. numer. 71. & 72. & Barb. ad c. 4. de furt. numer. 4.

Caput Unicum.

Quæstiones variæ, ad præcedentem spectantes Titulum, proponuntur, & resolvuntur.

Quæres primo, utrum ex furto 42 detur actio Civilis tantum, vel Criminalis?

Respondeo parti læsæ competere 43 utramque, & posse quem agere Civiliter, ut olim agebatur ad duplum, vel quadruplum, & posse agere Criminaliter ad vindictam, puta ad pœnam exilii, Triremium &c. L. ult. ff. de furt.

Verum quidem est, quod electa una 44 actione non detur locus ad aliam confugiendi, literalis est text. in L. interdum fur §. 1. ff. dicto Titulo: & ratio est quia nemo ob idem crimen duplici pœna affici debet. L. Sanctio ff. de pœnis.

Quæres secundo, utrum etiam rei 45 modicæ furtum detur?

Respondeo affirmative: Lex enim 46 dicit furtum esse contrectationem fraudolosam rei alienæ, lucri causa factam, non distinguens an hæc modica, vel magna sit: Ergo cum Lex non distinguat, nec nos distinguere debemus, & cum furti definitio per omnia etiam modicæ rei contrectationi conveniat, eidem & definitum conveniat necesse est.

Accedit quod in §. gallinarum Inst. 47 de rerum divis. Justinianus asserat etiam gallinæ domesticæ furtum fieri, & in L. Pomponius ff. fam. herciscund. dicitur tribui actionem furti propter Columbas apprehensas, licet res prædictæ sint modici valoris: Ita repetentes passim in dicto §. gallinarum, Clar in praxi §. furtum numer. 32. Menoch. de arbitr. lib. 2. cent. 1. cas. 71. numer. 13. Quare dominus talis rei, a quo invito ea ablata fuit, Civiliter furti agere potest, cum nulla subsistit ratio, quare eam surri-

piens a furto, atque adeo etiam a furti actione excusari queat. Accipite S. Hieronymum ita scribentem in Can. ult. 14. quæst. 6. *Fur non solum in majoribus, sed in minoribus etiam judicatur; non enim quod furto ablatum est, sed mens furantis attenditur: quomodo in fornicatione non idcirco diversa fit fornicatio si mulier sit pulcra, aut deformis, ancilla, aut ingenua, paupercula, aut opulenta; sed qualiscumque illa fuerit, una est fornicatio, ita & in furto, quantumcumque quis abstulerit, furti crimen incurrit.*

48 Quæres tertio, an ii qui opem, vel consilium ad faciendum furtum dederunt, furti actione obligentur?

49 Respondet affirmative Justinianus in §. interdum quoque Instit. de oblig. quæ ex delicto, dummodo tamen auferens dolo malo res alienas abstulerit, non per meram lasciviam, sive petulantiam, quia tunc non actione furti, sed in factum tenebuntur, cum hoc sit quidem delictum, sed extraordinarium, & innominatum, ut dicitur in dicto §. interdum.

50 Consilium vero dans, tunc demum actione furti tenebitur, si furtum sequutum fuerit, & ex eo consilio, seu hortatu habuerit effectum juxta dictum §. in fine, & ratio est, quia furtum non verbis, sed facto committitur L. si quis §. neque verbo ff. de furt. ubi Gl. in ver. *vel Concilio* advertit consulentem tunc furti teneri, cum alias non erat facturus is, cui consilium datum est: nam si sine consilio etiam fuerat furaturus, non punitur consulens eadem pœna qua fur, saltem ordinaria, sed extraordinaria, & arbitrio Judicis. Farinac. in prax. Crim. parte 6. quæst. 168. num. 41.

51 Quinimo scienter receptantes furem, aut res furtivas, easque occultantes furti tenentur, parique pœna puniuntur L. qui eas §. qui furem ff. eodem, quod tamen non erit verum, si ignorantes receperint, cum tunc furti non teneantur. Ita Farinac. loc. cit. num. 56. & 59.

Cum antiquitus servus domino, vel 52
libertus patrono aliquid furripiens furti actione non teneretur per text. hi qui Instit. de obligat. quæ ex delicto nascuntur; non abs re.

Quæres quarto, an id procedat et- 53
iam in nostris mercenariis ministris, famulis, & officialibus?

Respondeo negative, quia hi homi- 54
nes liberi sunt, ideoque de servis, & libertis a Jure antiquo disposita in iis non procedunt; quinimo furta domesticorum, vel eorum, quibus pecunia credita est, puta officialium, non leviore pœna sed graviore, & animadversione capitali puniri debent, Ita Vvesembec. ad §. item Lex Julia peculatus de publ. Jud. numer. 8. Ant. Faber in suo Cod. lib. 9. Tit. de pœn. defin. 2. Chassan. ad consuet. Burg. Rubr. 1. §. 5. num. 37. Bos. in pract. crim. Tit. de furt. nu. 25. & Clar. in prax. Crim. §. furtum num. 22. & §. fin. quæst. 98. num. 30. Quamvis enim, ut Clarus præfatus ibidem ex communi traditione DD. advertit, officialis etiam ditissimus tempore administrationis factus, non ex bonis, & redditibus Fisci, vel Domini, sed *licite* bona quæ habet in dubio acquisivisse præsumatur, id tamen non evincit, quod furta domesticorum, si de iis liqueat, non sint gravius punienda, cum hujusmodi crimen ab ipsis patratum, habeat speciem proditionis, nec pestis capitalior ad nocendum sit, quam familiaris inimicus. Can. 2. dictione 93. siquidem nullus fures domesticos, & eos, quibus omnia nostra committimus, effugere poterit, nisi eos pœna severior a tanto facinore retrahat, ut late ratiocinatur Harprecth. ad §. hi qui in parentum Inst. de oblig. quæ ex delicto num. 10. & seq. qui loquens de officialibus pecuniam ipsis creditam furripientibus, non approbat opinionem glossæ in L. tres Tutores v. contrectare ff. de admin. & peric.

peric. Tut. ajentis, quod velamen administrationis temperet furtum ea ratione, quia hi pecuniam ipsis creditam in proprios usus convertendo, non modo furtum faciunt, sed etiam fidem datam frangunt, & violant, ideoque plusquam alii fures delinquunt. Hinc officiali condemnato de maleficio, seu delicto in officio suo patrato, appellare non licet. L. nulli, ibique Gl. & DD. C. quorum appell. non recip.

55 Et quamvis alias Decurio torqueri nequeat, L. omnes Judices Cod. de Decurion. si tamen in officio deliquerit, torqueri poterit. L. quilibet 40. C. eod. sic licet alias de crimine accusatus non debeat pendente accusatione ab officio suspendi, L. reo, & L. quamvis ff. de solut. suspenditur tamen qui de crimine in officio commisso accusatur. L. si quis ff. de suspect. Tutor. sique aliquis condemnatus est de delicto in officio perpetrato, hoc officium, neque ex rescripto Principis, amplius exercere potest. L. si aliquid C. de Susceptorum, & L. Judices C. de dignitatibus.

56 Quæres quinto an tabellarius, sive nuncius, si ei tradatur pecunia ad alium perferenda, isque eam retinens in usus suos convertat, furti pœna teneatur, & furtum patret?

57 Respondeo affirmative, primo ex Text. expresso in L. si is cui C. de furt. ubi dicitur qui pecuniam sibi numeratam alio perferendam in proprios usus convertit, furtum facere. Secundo, quia certum est actus agentium non operari ultra vel contra intentionem illorum, L. 3. ff. de oblig. L. non omni ff. de reb. credit. Jam vero liquido constat qui pecuniam Tabellario tradit ad alium perferendam, licet eam illi annumeret, minime hoc agere, ut in Tabellarium dominium pecuniæ transferatur, nec de Jure nuda traditio dominium transfert, sed ita demum, si animus tradentis, & accipientis concurrat, & insuper venditio, seu aliqua alia justa causa præcesserit, propter quam traditio sequeretur. L. numquam nudam ff. de acquir. rerum Dominio, & §. per traditionem Inst. de rerum divis.

Quæres sexto quibusnam actio fur- 58
ti competat?

Respondeo iis omnibus, quorum in- 59
teresst, etiamsi Domini non sint §. furti autem Inst. de obl. quæ ex del.

Requiritur autem ad hoc primo, 60
ut interesse quis habeat ex causa honesta quæsitum, nam si furi ipsi res furata furripiatur, ei actio furti non competit, quia nemo de improbitate sua actionem consequi debet.

Secundo, ut alicujus interfit damni 61
dati, non levi causa; ut enim dicitur in L. si is cui 71. ff. de furt. *Interesse ejus videtur, qui damnum passurus* est, non ejus, qui lucrum facturus esset.

Tertio, quod interesse illi competat 62
ratione Juris realis, puta proprietatis, vel possessionis, vel pignoris, vel usus intercepti, non rei tantum promissæ, vel debitæ; hinc si a debitore res creditori promissa furto auferatur, creditor furti agere non poterit, L. is cujus ff. de furt. ratio est quia creditor in tali casu habet tantum actionem personalem ex stipulatu contra debitorem, non ratione possessionis proprietatis, vel usus, quem illius rei habeat; hinc ei actio furti non convenit.

Quæres sexto, an non solum fur, 63
sed etiam furti conscius, qui furem non indicat, reus sit furti?

Resp. affirmative per Text. in §. 64
interdum quoque Inst. de oblig. quæ ex delicto, &c. qui cum fure de furt. ubi S. Hieron. super parabolis ait: *Qui cum fure partitur, odit animam suam. Non fur solum, sed ille reus tenetur, qui furti conscius quærente possessore non indicat*; ratio est quia non dissimile Crimen est rapere, quam raptam rem celare. L. congruit ff. de officio Præsid. L. 1. C. de his, qui latrones &c. agentes enim, & consentientes pari pœna puniuntur. L. is qui opem, & duabus seqq. ff. de furt; Quare is, pœnes quem res furtiva in-

venitur, eam restituere Domino petenti tenetur, etiamsi pretio rem emerit. L. 2. & L. 5. Cod. de furt. & in dicta L. 5. additur incivile esse emere res ab ignotis, ibi: *ab ignoto, & transeunte te emisse dicere non convenit.*

65 Notandum tamen primo, quod ad hoc, ut receptans furem, vel rem furatam celans, teneatur ex furto, necessarium omnino sit, ut scienter id faciat. L. eos C. de furt.

66 Notandum secundo, ex eo quod res furtiva apud aliquem reperiatur, non sit absolute, & similiter contra eum præsumendum, si sit gravis, & honesta persona, Leg. non omnis §. a barbaris ff. de re milit. secus autem si suspecta, & minus honesta sit personæ qualitas, & solita sit hos actus peragere, vel si minori pretio, quam justo, aut clandestine rem illam emerit: nam ex his indiciis, & aliis similibus præsumitur scientia, dolus, & malitia. L. dolum C. de dolo, ita ut ex his, & aliis circumstantiis possit Judex etiam devenire ad torturam, ut notant Bart. & Bald. in L. incivile C. de furt.

67 Notandum tertio, quod Judex ex officio, vel cum procedit per Inquisitionem generalem, possit compellere subditos ad indicandum furem, quia Magistratus tenetur omnibus modis licitis purgare Provinciam ab hominibus malis. Abb. in dicto C. qui cum fure de furt. num. 5. Hinc Episcopi ad instantiam partis debent monitorias publicare, non solum pro rebus surreptis, verum etiam pro ipso fure indicando sub pœna Excommunic. latæ sententiæ juxta Trid. sess. 25. cap. 3. de Ref.

68 Notandum quarto, non esse licitum aliquid accipere a fure, ut non indicetur, vel occultetur, L. qui reus §. qui furem ff. de furt. & Abb. loc. cit. num. 3. sicuti nec quidquam potest petere ob restitutionem rei furtivæ, vel ob indicandum furem, nisi quid libere, & gratuito datum fuerit ab ipso Domino rei inventæ. Abb. ibid. n. 2. & Covar. in Reg. peccatum part. 2. §. 3. num. 4. & 5.

Notandum quinto, de mandato Judicis furem fore indicandum, dicto c. qui cum furem c. 2. de off. ord. quod verum credo, præcipue ubi adsit necessitas cognoscendi furem, quia etiamsi notum sit ubi sit res furtiva, recuperari tamen nequeat, nisi manifestato fure juxta Gibalin. de Censur. disquis. 2. quæst. 6. consectar. 4. 69

Quando autem indicato fure timeri posset ejus ultimum supplicium, ait S. August. in Can. ne quis arbitretur 22. quæst. 2. melius esse tacere: quia licet perfectus & spiritualis homo pro alterius vita non possit mentiri, potest tamen, & debet verum occultare, quoniam illud est mentiri, hoc tantum verum celare, sicut aliud est falsum dicere, aliud verum tacere, ideoque ex sententia Augustini nemo tenetur furem prodere, quando periculum ejus vitæ timetur. 70

Quæres octavo an is, qui in extrema necessitate constitutus abstulit rem alienam, ut suæ indigentiæ subveniret, (quod faciens, ut supra diximus, excusatur a culpa, & pœna) an inquam locupletior factus, teneatur ad ejus restitutionem? 71

Respondeo negative cum Sylv. ver. in summ. furtum quæst. 5. num. 10. dicto tertio, Azor. parte 2. Institut. Moral. lib. 12. cap. 8. quæst. 7. Barb. ad cap. si quis num. 3. de furt. modo Dominus rei ablatæ non sit in pari necessitate constitutus; tunc enim, ut jam dictum fuit, nec auferre liceret, quia in pari necessitate potior esse debet conditio possidentis: si vero extreme egens rem consumpserit, nihil restituere tenetur, etiamsi posset. Ratio est quia omnis obligatio restituendi oritur, vel ratione rei acceptæ, vel acceptionis, sed is qui consumpsit rem alienam in extrema necessitate positus, non obligatur ex re accepta, quia non habet rem penes se, cum bona fide consumpserit, nec ex acceptione, quia accepit non injuste, sed juste ex lege permittente in extrema necessitate, quæ omnia facit communia, & ex alia parte non accepit ex contractu, vel quasi contractu, ex quo alias teneretur, ergo nulla est obligatio restituendi. 72

73 Non obstat primo, si dicas, quod res aliena in extrema necessitate accepta non transeat in dominium accipientis, sed id tantum facere, ut re licite pauper uti possit.

74 Respondeo enim, quod quamvis ante consumptionem pauper non sit rei dominus, tamen hoc ipso, quod licite, & tuta conscientia potuit illam consumere, per consumptionem factus sit dominus, ideoque rem restituere non debeat, sicut possessor bonæ fidei, si consumat fructus ex re aliena perceptos, ipsa consumptione facit eos suos, ut restituere non teneatur.

75 Non obstat secundo, quod debitor ex contractu, vel quasi contractu, superveniente extrema necessitate, etiamsi illam consumpserit, si postea ditior fiat, ejus pretium, seu æstimationem solvere teneatur: Ergo similiter si quis ob summam necessitatem rem consumpserit.

76 Respondeo namque discrimen esse evidens inter unum, & alium casum; In primo enim obligatio orta ex contractu, vel quasi, superveniente summa necessitate non extinguitur, sed suspenditur, & quasi sopita manet, ideoque debitor ad pinguiorem rediens fortunam, suum debitum exolvere tenetur, non ratione rei acceptæ, quam non habet amplius, sed ratione prioris obligationis ex contractu, vel quasi contractu prodeuntis, & accedente necessitate mere sopitæ, non extinctæ; At vero cum extrema necessitas omnia faciat communia, qui rem in tali statu accepit, & comsumpsit, obligationem quamlibet per consumptionem extinxit; quare restituere non debet, cum nemo quod suum, seu proprium est factum, restituere teneatur; neque hic teneatur ex ullo contractu, vel quasi contractu, delicto, vel quasi delicto. Ita Azor. loc. cit.

Non obstat demum Text. in L. Nesennius 34. ff. de neg. gest. ubi dicitur cum qui præbuit alimenta in necessitate constituto, posse ea repetere, si protestatus sit se ea repetiturum. 77

Respondeo siquidem ibi sermonem esse de præbente alimenta indigenti, sed non extreme indigenti juxta Azor. ibid. 78

Idemque dicas de eo, qui accepit rem alienam, non ut sibi, sed Titio extreme, vel valde graviter indigenti subveniret juxta D. Thom. 2. 2. quæst. 66. art. 7. ad 3. & Azor. dicto c. 8. quæst. 80. in fin. Ac de eo, qui pro se in valde gravi necessitate posito rem alienam acceperit: neque enim ditior factus, eam consumptam justo titulo restituere debebit, cum qui semel Jus perfectum in re acquisivit, non debeat illam restituere, etiamsi causa accipientis ob pinguiorem fortunam cesset. Sylv. l. cit. quæst. 5. dicto 2. 79

Quæres nono, quomodo puniatur in Clericis furtum de Jure Canonico? 80

Respondeo: prima pœna furti est depositio ab ordine, & officio Clericali Can. presbyter dec. 81. dummodo de eo constet per sententiam, confessionem, vel evidentiam rei in Gl. in Can. dicto v. *captus est*, si tamen Clericus ob furtum depositus incorrigibilis fuerit, excommunicari debet, deinde crescente contumacia, anathemate feriri, idest solemniter excommunicari, & tandem si in contumacia perseveret per sæcularem potestatem est comprimendus, ita ut exulare cogatur, vel alia legitima pœna citra mortem, & mutilationem illi imponatur. C. cum non ab homine de Judic. Tholos. Sintagm. Jur. parte 3. lib. 37. c. 2. num. 23. dicta autem pœna depositionis non est imponenda quando furtum est le- 81

leve, & parvi momenti. Diaz. in pract. Crim. Can. c. 94. in additione lit. D.

82 Altera pœna de Jure Canonico est infamia. Can. infames 6. quæst. 1. cum hæc pœna, ut supra diximus, persequatur fures etiam in foro sæculari; qui autem est infamis secundum Leges, est quoque infamis secundum Canones, nisi reperiatur oppositum statutum. Can. Euphemium §. hinc colligitur 2. quæst. 3. & Can. 1. 6. quæst. 1. ubi Pontifex generaliter ait: *omnes eos infames esse dicimus, quos Leges sæculi infames appellant*, & Diaz. ibid. num. 2. in fin. ubi addit quod si Clericus fuisset tantum condemnatus ad restitutionem rei, furto subtractæ, per hoc non fieret infamis, quia potest intelligi, quod fuerit actum conditione furtiva, quæ non infamat, non actione furti, quæ infamiam irrogat, sicuti in Legibus Civilibus de Laicis dictum est.

83 Hinc infertur, quod is, qui publica infamia furti notatus est, quia fur est manifestus, aut convictus in Judicio de furto, nequeat absque dispensatione ad ordines promoveri, quia cum debeat ab ordine, si quem habeat, deponi, a fortiori ad illum admitti non potest: idemque est de aliis delictis notoriis. C. fin. de temp. ordin. Abb. in C. ex literis num. 3. de furt.

84 At vero fur occultus etiam sacrilegus, post restitutionem, & peractam pœnitentiam ad ordines potest promoveri cap. ex literis dicto h. t. ubi ponitur casus de Clerico, qui calicem in Ecclesia minus caute relictum surripuit, longoque tempore detinuit, postea illum per manus Confessoris restituit, & petiit, ut ad sacros ordines promoveretur. Consultus hac de re ab Episcopo Cremonensi Pontifex Alexander III. ei mandavit, ut si fur ille sacrilegus spontanea animi sui voluntate confessus fuerit crimen, & Ecclesiæ cujus erat Calix satisfeciisset, nec per hoc nota, vel infamia aspersus fuisset, post peractam pœnitentiam, aut congruam partem illius, ad sacros ordines eum promoveret, dummodo esset idoneus.

Collige igitur ex hoc text. quin- 85
que requiri, ut possit fur promoveri ad ordines, primo: quod sponte delictum fuerit confessus, quia mitius agitur cum sponte confesso, quam cum convicto. Can. presbyterum dist. 50. Can. non dicatis 12. quæst. 1. & Gl. in dicto cap. ex literis, v. sponte. Secundo, ut satisfaciat læso, non enim remittitur peccatum nisi restituatur ablatum, modo possit quis satisfacere, & restituere. Tertio, quod non fuerit publice infamatus de furto. Quarto, ut peregerit pœnitentiam vel congruam partem illius, quia licet quis parti satisfecerit restituendo rem furatam, nihilominus pœnitentia est ei imponenda, per quam satisfit Deo. Can. apud misericordem 32. quæst. 1. 5. ut alias sit idoneus, juxta Abb. ibid. num. 5.

Collige secundo, infamiam aliam 86
esse Juris, quæ oritur ex aliqua Juris dispositione, expresse infamiam delicto alicui imponente: aliam facti, qua notatus ille est, cujus fama apud *probos*, & graves viros ex facto, vel delicto onerata est. Can. infames 3. quæst. 7. uterque autem infamis irregularis est quantum ad sacros ordines suscipiendos, ut colligitur ex dicto C. ex literis.

Inter unam autem, & aliam infa- 87
miam multiplex differentia intercedit. Prima quod a Juris infamia tantum S. Pont. dispensare potest, argumento Text. in C. cum te de sent. & re jud. ab infamia autem facti dispensare potest Episcopus, nimirum ut infamis possit tantum in susceptis ordinibus ministrare.

Secunda est, quod irregularitas pro- 88
veniens ab infamia Juris non tollitur per pœnitentiam, Can. Euphemium 2. quæst. 3. ubi dicitur, quod quamvis animam per pœnitentiam salvare possi-

possimus, infamiam abolere non possumus. Illa vero, quæ provenit ex infamia facti tollitur per pœnitentiam, & per emendationem vitæ purgatur. Abb. in c. ex diligenti de simon. ubi redditur ratio quia tollitur hæc infamia per actum contrarium, nempe emendationem vitæ, cum per quas causas res nascitur, per easdem dissolvatur, c. primo de Reg. Jur. & L. nihil tam naturale ff. eod. Quare optime censuit Alex. III. in casu allegati cap. ex literis h. t. furem calicis occultum nulla Juris infamia aspersum, post restitutionem, & pœnitentiam congruam peractam, potuisse dummodo esset idoneus, ad sacros ordines promoveri juxta Abb. ibid. n. 5. & Socin. n. 5.

89 Alia etiam pœna a Jure Canonico imposita contra fures habetur in C. fures de furt. ita sanciente: *Fures, & latrones, si in furando, & deprædando occiduntur, visum est pro eis non orandum: si comprehensi, aut vulnerati, presbytero, vel Diacono confessi fuerint, communionem eis non negemus.* Qui Text. desumptus est ex Concilio Triburiensi, & relatus etiam in Can. fures 13. quæst. 2. Et ratio est, quia pro eis, quos constat in peccato mortali decessisse, non orat Ecclesia, nec permittit pro eis preces effundi. Can. placuit 13. quæst. 5. Can. pro delicto de pœnit. dec. 2. sed fures, & latrones in ipso actu deprædandi occisos, in peccato mortali decedere notorium est: ergo pro ipsis orandum non fore recte monuit in hoc cap. Ecclesia, præsertim ajente Paulo 2. ad Corinth. *Fures non possidebunt Regnum Dei.* Sin autem signa pœnitentiæ ante obitum dederint, non sunt Ecclesiæ communione, suffragiis fidelium, & Ecclesiastica sepultura privandi. Can. si quis de pœnit. dist. 4. quia Ecclesia nulli etiam in extremis posito claudit gremium: cap. super eo de hæret. in 6.

90 Non obstat si dicas primo, quod fures etiam occisi, dum furabantur, potuerint elicere actum internæ contritionis, quare male Ecclesiam jubere, quod pro iis preces non fundantur, præsertim cum ea de occultis non judicet.

Retorqueo siquidem argumentum 91
dicendo, quod imo de occultis judicaret, si pro illis orationes publicas permitteret, quia furis peccatum videt, quod committens moritur, contritionem autem non videt, ideoque dico in præsenti casu Ecclesiam judicium ferre de apertis, & claris, non de occultis, & latentibus, cum judicet de furtis, & prædationibus; quæ sensui externo patent, & in quorum patratione fur decessit e vivis.

Dices secundo, pro peccatoribus 92
etiam damnatis licet orare. Ita habemus S. Gregorium orasse pro Trajano Imperatore Gentili, & sine baptismo decedente. Ita Ecclesia in missa defunctorum ait: *Libera animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni, de ore leonis; ne absorbeat eas Tartarus &c.* Et passim etiam ita orat: *A porta inferi erue Domine animas eorum*: Sane istæ portæ nihil aliud sunt, quam infernæ, seu diabolicæ potestates; habetur enim Matth. 16. ita: *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam*: ergo male in præsenti statuit pro furibus decedentibus in ipsa deprædatione orandum non fore.

Respondeo, quidquid sit de historia 93
Trajani, de qua late Baron. ad ann. Christi 603. quamve narrationem plures apocrypham esse censent, ut late disserunt DD. allati a Barb. in cap. cum Marthæ de celebr. Missarum n. 16. certum est, pro damnatis orandum non esse, cum vivorum preces, & suffragia nihil illis emolumenti, vel solatii parere queant, nisi id speciali Jure a Deo concedatur, qui persæpe aliquibus concessit, ut liceret orare pro damnatis ad hoc, ut ad vitam reverterentur miraculose, & salvarentur, ut ex mente S. S. Aug. &

Tho-

Thomæ docuit Bellarm. lib. 2. de Purgat. c. 8. Cæterum orationes illæ, quas Ecclesia fundit in Missis, & officio defunctorum, funduntur pro animabus in Purgatorio degentibus, cui tormentorum loco convenit inferorum nomen, Stygis, Tartari, sulphurei carceris, & similia juxta Bellarm. ibid. cap. 1. & Azor. part. 1. Instit. Moral. cap. 22. quæst. octava.

94 Adverte jam in dicto C. fures ita dici: *fures & latrones*; cum vero particula & inter diversa poni soleat per Rubricam, & Gl. ff. de Jur. & fact. ignor. sequitur furem a latrone differre, & in hoc quidem juxta veriorem opinionem, quod fur dicatur ille, qui domum aggreditur cum armis, & sine, latro vero qui domum, vel viatores armatus impetit. Abb. ad dictum cap. fures, & Farinac. in prax. quæst. 116. qui ideo docent, latronem per vim, furem sine vi furari, & ideo Christus armatis cohortibus ipsum aggredientibus dixit: *tamquam ad latronem existis cum gladiis, & fustibus comprehendere me*, quasi latro armis munitus nonnisi armata vi potuerit oppugnari.

95 Adverte ulterius, dici in cap. fures allegato, fures confessos fuisse, *presbytero, vel Diacono*: Id tamen intelligendum non fore de Confessione Sacramentali, quia Diaconus non habet Clavium potestatem, C. bene quidem, ubi Gl. v. propter, dist. 95. quæ soli competit Sacerdoti juxta Trid. sess. 14. cap. 10. de pœnit.

96 Quare Ant. Augustin. in notis ad 1. Collectan. Decreti in præsenti censuit Ly *Diacono* fore a Textu expungendum, cum non reperiatur in Can. fures a Gratiano relato, nec in ipso Concilio Triburiensi.

97 Sotus in quartum, dist. 8. quæst. 4. art. 1. & Barbosa in Can. verbum de pœnit. dist. 1. censet Textum accipiendum esse de eo, qui erat constitutus in pœnitentia solemni, cujus reconciliatio absente sacerdote spectabat ad Diaconum, & sic de solemni reconciliatione, non de sacramentali absolutione.

Verior tamen est explicatio, & in- 98
terpretatio Gonzal. ad dictum Text. in notis num. 3. & Pirrhing. lib. 5. Jur. Can. tit. 18. §. 4. num. 3. vers. *not.* 2. id significare, quod si fures coram presbytero vel Diacono dederint signa pœnitentiæ, ita ut ipsi non tamquam Confessionem Sacramentalem audientes, & absolutionem impendentes, sed tamquam testes signorum pœnitentiæ adfuerint, ad communionem admittantur, quæ communio non est accipienda de Eucharistia, sed de communione Ecclesiastica, juxta quam & oratur pro mortuis, & offertur sacrificium, ut habetur in C. Sacris de sepult. *cui communicamus vivo, & communicamus defuncto*, & hæc interpretatio suadetur a priori parte Textus, ubi P. P. in Concilio proposuerunt duo genera hominum, videlicet eos, qui in crimine flagranti comprehensi occiduntur nullis datis pœnitentiæ signis, & eos qui iis datis decedunt; illis negant communionem, oblationem, & orationem: ergo eamdem concedunt aliis per illa verba *Communionem eis non negamus*.

Sed obstare videntur huic explica- 99
tioni Text. in Can. primo de pœnit. dist. 6. ibi: *Tanta est vis pœnitentiæ, ut si deest Sacerdos, confiteatur Laico*, & in Can. Sanctam de Consecr. dist. 4. ubi habetur: *deficiente Sacerdote posse quem confiteri laico*.

Respondeo enim cum Gonzalez 100
Pirrhing. ll. cirat. ibi innui consilium, non præceptum, idest licentiam, & facultatem, non obligationem; confessio enim Criminum, speciatim in mortis periculo, deficiente Sacerdote, potest fieri laico, non quatenus sit, vel esse possit Sacramentalis, & ad effectum obtinendi Sacramentalem absolutionem, sed ad promerendas utilitates Spirituales, videlicet ad majorem humilitatem, & verecundiam, ac ruborem excitandum, & ad contritionem perfectam eliciendam, quod non est vetitum, licet non sit præceptum: testante Navar. in cap. 1. de pœnit. decis. sexta num. 79. non esse consultum etiam in articulo mortis confiteri peccata mortalia non Sacerdoti, nisi sit persona prudens, & taciturna, qui ibid. num. 76. & in Enchirid. cap. 11. num. 41. cum Gersone in Compend. Theolog. Tit. de Confess. speciali advertunt, Text s objectos accipi etiam posse juxta veterem usum, seu verius abusum, quo Laici in extrema necessitate, ingruente videlicet morte, nec suppetente Confessario Sacerdote, excipiebant Confessionem, & absolutionem impendebant.

TITULUS XI.

De Rapina.

1 RApina delictum furto simillimum, sed illo improbius, definitur *violenta ablatio rei mobilis alienæ facta dolo malo animo lucri faciendi*.

2 Dicitur *violenta ablatio dolo malo*, licet enim vis generaliter dolum includat, L. 2. §. doli ff. de vi bonorum rapt. tamen quia aliquando datur etiam sine dolo, ut contingit in vi juste illata a Magistratu, L. 4. ff. de Stat. hominum, ideo in definitione additur ly *dolo malo*; potest enim res auferri vi, & absque dolo malo, ut contingit in Domino, qui repetit rem propriam, sibi licere putans eam propria auctoritate occupare; quia enim dolo malo non facit, nec lucrifaciendi causa, sed tantum Juris ignorantia recuperandi animum habet, raptor dici non potest. L. 2. citata §. hæc actio ff. de vi bonorum raptorum. Sed ne homines privati sibi Jus dicant, cautum fuit Constitutione Theodosii, & Arcadii Imp. ut si Dominus fuerit, Dominium rei amittat: si non Dominus, non solum rem, verum etiam ejus æstimationem restituere compellatur. L. si quis in tantam C. unde vi. Similiterque Imp. Marcus constituerat, ut si creditor debitori vim fecisset debiti extorquendi gratia, creditum perderet. L. penultim. ff. ad L. Jul. de vi privat.

3 Dicitur in definitione *rei mobilis*, quia res immobiles, ut fundi, & res soli, proprie non dicuntur rapi, sed invadi §. ita tamen in fin. Instit. de vi bonorum rapt. & L. 1. Cod. eod. ei autem, qui in immobilibus vim passus fuit, succurritur remedio Interdicti: *Unde vi* L. 1. ff. de vi, & vi armata.

Dicitur tertio, *alienæ*, quia ut su- 4
pra monui, rem suam violenter tollens raptor non est, nec pœnæ ordinariæ rapinæ est obnoxius.

Dicitur demum *animo lucrifaciendi*, 5
quia sicut sine illo non committitur furtum, ita nec rapina.

Porro differt rapina a furto ratio- 6
ne injuriæ, ut docet Sanct. Thom. 2. 2. quæstion. 66. art. 4. & Less. lib. 2. de Just. & Jur. cap. 10. numer. 8. dub. 2. tum quia in furto reperitur diversa ratio involuntarii, & consequenter injustitiæ: nam volenti non fit injuria, sed solum invito; furtum autem fit Domino ignorante, adeoque continet involuntarium ob ignorantiam; rapina vero fit Domino sciente, & vim patiente, ideoque continet involuntarium ob coactionem, tum quia rapina præter injustitiam furti, qua læduntur bona proximi, continet etiam, & superaddit realem contumeliam, lædentem personam, & honorem proximi. Molin. Tom. 3. de Just. tract. 2. disput. 683. numer. 7. optime S. Joann. Chrysost. homil. 10.

in primo ad Thessal. *Illud vis est, & violentia, ut facilius quis mille talenta sponte dabit, & nihil se passum esse putabit, quam ut tres obolos præter animi sententiam abreptos mansuete ferat:* Quare omnis raptor est fur, non autem e contra: quia in rapina adest tota malitia furti, quæ stat in ablatione injusta rei alienæ, adjuncta insuper nova injustitia in personam propter vim ei illatam, quæ injustitia est differentia rapinæ intima, & essentialis, ut proinde furtum, & rapina asserantur specie differre. Ita Gabriel in 4. dist. 15. quæst. 3.

7 Multiplex autem in Jure nostro violentia considerari potest.

8 Prima dicitur compulsiva, quando scilicet quis per vim, & metum cadentem in constantem virum compellitur ad aliquid dandum, tradendum, vel faciendum, quod suæ libertati relictus non faceret, & hæc parit actionem quæ dicitur *quod metus causa* (Prætor enim ita ajebat) quod *metus causa gestum erit, ratum non habebo*. L. 1. ff. quod metus causa.

9 Altera est vis expulsiva, quæ proprie cadit in res immobiles, seu soli, cum quis deiicitur e domo, vel potestate sua, & illa parit interdictum possessorium: *Unde vi*, L. 1. §. 3. & 4. ff. de vi, & vi armat. & §. recuperandæ Inst. de interd.

10 Tertia est vis turbativa, ut quando duo vel plures se unius, ejusdemque rei possessores prætendunt, & unus alium turbat; sique res est immobilis, nascitur Interdictum *uti possidetis*; si sit mobilis oritur Interdictum *Utrobi*. Instit. dicto tit. & toto tit. ff. uti possidet.

11 Quarta est violentia inquietativa, quando aliquis, qui non est possessor, nec prætendit se esse possessorem, tamen vi, vel clam inquietat, nec sinit alium uti quiete re sua, & ex ea proficiscitur Interdictum, *quod vi, aut clam*, Toto Tit. ff. quod vi, aut clam &c.

Quinta dicitur violentia ablativa, 12
quæ contra res mobiles committitur, quando per vim alicui res mobilis aufertur, & ex ea oritur actio *de vi bonorum raptorum*. Toto tit. ff. & Cod. de vi bonorum raptorum, hæcque est rapina. De omnibus relatis violentiis vide Sichard. ad Tit. Cod. de his, quæ vi metusque causa n. 2. & Maseard. vol. 3. de probat. Concl. 1409. num. 4.

Hæc autem actio *vi bonorum raptorum* intra annum est ad quadruplum pretii, seu justæ æstimationis rei raptæ, post annum in simplum, idest ad rei æstimationem §. primo Inst. de vi bonorum raptorum L. 2. §. in hac actione L. prætor ait §. idcirco illud ff. eod. & L. 2. cum tribus seqq. C. eod. Ratio est quia hæc actio est Prætoria; actiones autem Prætoriæ, maxime pœnales, sunt annuæ. L. in honorariis ff. de oblig. & act. 13

Annus autem hic est utilis, idest 14
labitur iis diebus, quibus datur copia Judicis, & actor ex aliqua justa causa experiri non impeditur; non vero est continuus, ita ut qualibet die labatur: dicto §. primo Instit. de vi bonorum raptorum; quando enim Jurisconsulti appellant annum, simpliciter utilem intelligunt. L. prima ibiq. Gothofred. ff. de diverf. temporal. præscript.

In quadruplo autem etiam res con- 15
tinetur, seu ejus pretium, ita ut pœna intra annum sit potius tripli, quam quadrupli: dicta Lege prima §. in hac actione ff. dicto Tit.

Hodie tamen hæc pœna locum non 16
habet in praxi, quia raptores criminaliter pœna gladii, seu mortis naturalis plectuntur, quamvis teneantur quoque ad restitutionem rerum ereptarum, quia actio Criminalis principaliter instituitur ad pœnam mortis, petitio vero rerum ereptarum incidenter officio Judicis. Ita Harprect. ad §. primam instit. de vi bonorum raptorum num. fin.

Cæte-

17 Cæterum juxta Farinac. quæst. 167. num. 22. & 87. si rapina etiam unica commissa fuerit coadunatis hominibus armatis, fracto ostio, vel fenestra, & violento ingressu in domum alicujus, etiam pro unico furto incurritur pœna mortis, & ita tenet etiam Raynald. Tom. 2. capit. 14. num. 63.

18 Eadem pœna mortis puniendi sunt grassatores, qui cum armis, in viis publicis, & pluries viatorum bona abstulerunt. Ita Text. in L. Capitalium §. grassatores ff. de pœnis, & L. Prætor ait §. adversus eos ff. de Sepulchr. violato, qui differunt a latronibus, quia latrocinium committitur in domibus, & in itinere cum armis, aut sine armis; grassator autem in via publica, & semper cum armis. Ita Raynald. l. c. num. 66. & seq.

19 Si autem occiderint, vel occidere tentaverint eum, cui furati fuerunt, aut furtum sit magnum, & qualificatum, vel adsint statuta, aut bannimenta specialia id disponentia, etiam pro unico furto grassatores furca erunt suspendendi. Raynald. ibid. nu. 70. & seq. Farinac. dicta quæst. 167. num. 85. & seqq. Sanselic. dec. 40. nu. 4. & seq. sicut, & omnes alii, qui dicuntur fures famosi, idest qui soliti sunt furari, & tria furta absque cæde etiam commiserunt. Raynald. ibidem numer. 76. in fin.

20 Quod si quæras quibusnam pœnis raptores bonorum a Jure Can. afficiantur?

21 Dico primo, in cap. de illis de Raptoribus incendiariis &c. imponitur pœna excommunicationis infligenda ab Episcopo loci, ubi quis iter faciens rapinas peragat, quia ratione delicti evadit raptor de Foro illius loci, ibique puniri potest juxta Abb. in dictum cap. num. 2. not. 3. qui antea de diœcesi illa exire non debet, antequam quæ perpetravit, emendet, pleneque satisfaciat: & hæc excommunicatio est significanda Episcopo proprio delinquentis, ne reum recipiat antequam illuc redeat, ubi rapuit, & satisfaciat; & hæc decretalis desumpta est ex Conc. Meldensi cap. 2.

Dico secundo, in cap. super eo dicto Tit. Eugenius III. PP. sic disponit de raptoribus, & violatoribus Ecclesiarum, quatuor casus distinguens. 22

Primus est, si quis nec in vita, 23
nec in morte voluit satisfacere, cui jubet pœnitentiam, & sepulturam Ecclesiasticam denegari, quia constat eum in peccato mortali impœnitentem decessisse.

Secundus est, si quis in vita sa- 24
tisfacere voluexit cum posset, quod tamen moriens fecit, & ei mandat pœnitentiam concedi, & sepulturam.

Tertius, quando quis in vita fuit 25
obstinatus, & pertinax, in morte tamen vellet satisfacere, sed non potest, nec etiam securitatem præstare de satisfaciendo; cui jubet pœnitentiam, & absolutionem occultam tribui, & solemnem reconciliationem denegari in opprobrium hæredum, ut studeant satisfacere, & ideo vetat Clericis ejus humationi interesse: dicitur autem obstinatus qui habuit facultatem satisfaciendi dum vita suppetiit, & admonitus, vel etiam excommunicatus, satisfacere neglexit juxta Hostiens. ad dictum cap. verbo *obstinata*.

Quartus est de eo, qui voluit, & 26
vivens, & morti proximus satisfacere, sed non potuit, quia pauper evasit, & tali non denegat solemnem absolutionem, & Ecclesiasticam sepulturam, ac Clericorum illi interventum, quia impossibilium nulla est obligatio. L. 185. ff. de Reg. Jur. & inanis est actio, quam inopia debitoris excludit. L. nam is ff. de dolo.

Notandum tamen, hujus Textus 27
dispositionem habere locum in raptore publico, seu manifesto, idest qui potest judicialiter convinci, non vero in occulto, seu non manifesto juxta Innoc. hic; hic enim potest ad-

mitti ad pœnitentiam, viaticum, & sepulturam. Hostiens. hic in principio; Imo etsi manifestus sit, si tamen numquam monitus fuerit, potest recipi ad pœnitentiam. Gl. in dicto cap. v. in contumacia.

28 Notandum secundo, quod raptoribus, qui pœnituerunt in morte, sed satisfacere non possunt, denegatur sepultura in Ecclesia, non vero in Cœmeterio. Gl. fin. in dicto C. ita tamen ut Clerici dictæ sepulturæ interesse nequeant. Abb. in dicto C. nu. 2. in fin.

29 Notandum tertio, Clericos rapinæ participes, vel facientes contra prohibitionem dicti Textus deponendos fore ab ordine, & privandos Beneficio, ut dicitur in dicto c. quæ tamen pœnæ non incurruntur ipso Jure, sed a Jud. sunt imponendæ. Barbos. ad dictum c. n. 25.

30 Rursus in cap. 3. de raptoribus desumpto ex Conc. generali Lateranensi celebrato sub Alexandro III. excomunicationem iis infligi, qui Christianos propter negotiationem, aut alias justas causas navigio vectos capere, aut rebus suis spoliare præsumunt, vel eosdem naufragium passos damnabili cupiditate rebus suis spoliant, nisi male ablata restituant.

31 Quæ prohibitio diripiendi res naufragantium habetur etiam ex Constit. Friderici III. Imp. relata in Auth. navigia C. de furt. id quod antea vetitum etiam reperiebatur L. Cornelia de Sicariis, qua statuta fuerat pœna adversus naufragium supprimentes. L. 3 §. item is ff. ad L. Cornel. de Sicar. & ex Rescripto Antonini Cæsaris relato in L. prima Cod. de Naufrag. lib. 11. & apud Rhodios Lege cautum erat, ut quidquid levandæ navis causa ejectum erat a naufragis, aut timentibus naufragium, veteribus dominis restitueretur. L. 1. & 2. L. qui levandæ ff. ad L. Rhodiam, & L. falsus §. si jactum ff. de furt.

Et hic duo obiter adverte: primum, res levandæ navis causa in mare projectas manere in Dominio eorum, quorum fuerant, nec haberi pro derelictis, L. qua ratione §. fin. ff. de acquir. rerum Dominio, cum eas animo non derelinquendi Dominus projecerit. L. 1. & tot Tit. ff. de incendio, & ruina. 32

Secundum, licere propria auctoritate merces navi vectas ipsius levandæ causa in mare proiicere, quia id fit salutis publicæ causa, & ob bonum navis totius, sicut licet arcendi ignis causa vicinas ædes incidere absque eo quod actio in pactum vel Legis Aquiliæ detur, dicta. L. 1. Illi autem qui tali jactu res proprias salvas fecerunt, tenentur pro rata contribuere, & damnum reficere Dominis mercium ejectarum juxta Legem Rhodiam, de qua in L. 1. & 3. ff. ad L. Rhodiam. 33

Cæterum nunc in Bulla Cœnæ Domini excommunicatione 3. excomunicantur excommunicatione, Summo Pontifici reservata, & anathematizantur omnes piratæ, & latruncculi maritimi discurrentes mare præcipue Ecclesiæ Romanæ, omnesque eorum fautores, receptatores, & defensores, sub quibus tacite comprehendi etiam consulentes censuit Navarr. in man. c. 27. num. 59. quamvis contrarium teneat Suar. disp. 21. de censur. sect. 2. num. 22. Intellige tamen dicta censura ligari deprædantes bona fidelium, & Christianorum, quia intentio Papæ est providere bonis fidelium tantum, Suar. loc. cit. num. 21. sicuti non comprehenduntur qui occupant res Christianorum naufragium facientium, si hostes tamen sint illi populo, & genti, quæ occupat: tunc enim occupatio ex Jure belli justificatur, siquc bellum injustum fuerit, non censentur piratæ, seu latrones, sed injusti bellatores. Sylv. in sum. v. excommunicatio nu. 55. Navar. loc. cit. & Suar. loc. cit. num. 24. vel ii, qui in flu- 34

minibus prædantur, non in mari Suar. loc. cit. num. 25. & Molin. Tom. 3. de Just. & Jur. tract. 2. disp. 649. num. 3.

35 Quare iniquæ sunt Leges Principum, quibus statuitur, ut bona eorum, qui naufragium patiuntur, ad Fiscum Regium, vel alterius Principis devolvantur, quem abusum fortasse taxavit Juven. Satyr. quarta.

36 *Quidquid conspicuum pulchrumque est æquore toto.*

37 *Res Fisci est ubicumque natat*; Sancitur enim in L. 1. Cod. de Naufragiis lib. 11. *nihil Juris habere Fiscum in aliena calamitate, ut ex re tam luctuosa compendium quærat*, cum dictæ Res Jure naturali, ac divino ipsis Dominis restitui debeant. Ita Navarr. loc. cit. nu. 113. in fin. & Azor. parte 2. Instit. Moral. lib. 11. cap. 6. §. præterea.

38 Quamobrem in eadem Bulla Cœnæ Domini Excommunicatione quarta, excommunicantur, & anathematizantur omnes, & singuli qui Christianorum quorumcumque navibus tempestate jactatis, vel quoquomodo naufragium passis, vel in litore inventa cujuscumque generis bona in cujuscumque maris regionibus, & littoribus surripuerint, aut scienter acceperint, aut ab aliis rapta receperint, ita ut ob nullam consuetudinem, privilegium, aut longissimi temporis possessionem excusari possint, & hæc etiam absolutio est Papæ reservata.

39 Notandum, hanc quartam Excommunicationem ab iis non incurri, qui talia bona acceperint non animo prædandi, sed vero domino restituendi, nisi fuerint in mora restituendi, quia tunc ratione moræ excommunicantur a Concilio Lateranensi in cap. 3. de raptoribus citato, nec eos, qui ignorent talia bona esse naufragorum, etiamsi nolint restituere, vel sint in mora restituendi nec in bonis, quæ Dominus habeat pro derelictis, quia ea utpote nullius Juris facta, homi- nis fiunt primo occupantis, vel si diripiantur bona Infidelium, hæreticorum, & aliorum Christiani nominis hostium, tum quia Canones loquuntur de piratis spoliantibus Christianos tantum, tum quia sicuti Infideles deprædantes non incurrunt excommunicationem, quia nullius censuræ capaces sunt, ita vicissim, nec censura ligantur Christiani piratæ, si spoliant infideles, ut utrimque servetur æqualitas: ac demum dicta Censura reservata Papæ non ligari surripientes quid modicum, quod non attingat culpam lethalem, ita ut aliqui requirant pro incursu dictæ censuræ, quod furtum, seu bona rapta excedant duos aureos: Ita Molin. loc. cit. n. 6. 7. Quaranta in Summa Bullar. v. bona naufragantium fol. 1406. & seq.

Cum autem hæc excommunicatio mentionem non faciat de fautoribus, adiutoribus, seu receptatoribus, hi ea non comprehendentur, nisi proxime auxilio, aut consilio cooperati fuerint ad rapinam, vel recipiant scienter bona naufragorum, ita ut furti participes censeantur. Ita Suar. loc. cit. n. 32. 40

Caput Unigum.

De Incendiariis, & violatoribus Ecclesiarum.

Affinis raptori est incendiarius, qui proprie est is, qui data opera, sive sciens, & prudens appositio igne incendit civitatem, domum, aut prædium, aliudve ædificium, sive urbanum, sive rusticum, aut Segetes, vel similia aliena, sive dolo malo ex odio, aut vindicta, seu qui ad hoc mandatum, auxilium, vel consilium scienter dedit. Can. pessimam 23. q. 8. Can. cum devotissimam 12. qu. 2. C. si quis domum de injuriis; quare non dicitur incendiarius qui potestate, vel auctoritate habentis 41

Jus indicendi bellum, alienam domum, vel aliam rem incendit, aut qui casu, vel negligentia, quamvis teneatur ad damna, & interesse: cap. ult. de *Injuriis*.

42 Jura Civilia varias pœnas incendiario doloso imponunt, quæ tamen varietas juxta distinctionem casuum, & circumstantiarum ad concordiam facile reducitur.

43 Primo enim si incendium sit magnum, & in Civitate vel Oppido; nobiles decapitantur, & procedit dispositio Text. in L. Capitalium §. qui ob inimicitias ff. de pœn. & L. ultima ff. de incend. ruin. & naufragio. Viles vero comburuntur vel bestiis lacerandi traduntur juxta Text. in L. qui Ædes & L. ultima ff. de incend. vel furca, ut nunc in usu est, suspenduntur, cum hæ pœnæ inter se æquiparentur, & quia quælibet summum imperat supplicium juxta Cynum in L. data opera Cod. qui accusare non possunt.

44 Secundo, si incendium factum in Civitate vel oppido sit parvum, nobiles in Insulam deportantur, & militat Text. in dicta L. ultima §. qui data, & in L. 3. §. fin. ff. ad L. Cornel. de Sicar. viles capite puniuntur, & procedit Text. in L. Capitalium §. nonnumquam ff. de pœn. quam distinctionem approbant Caball. resol. crim. 22. n. 4. Giurb. consil. crim. 48. n. 16. Cortiad. dist. 105. num. 5.

45 Tertio, si incendium fiat in Villa, vel Ruri, regulando pœnam ex Juribus prædictis, ut in quolibet casu juxta qualitatem personæ mitior imponatur ea, quæ imponitur pro incendio in Civitate, vel oppido commisso: si incendium sit magnum, nobiles deportantur, viles capite puniuntur juxta Cyn. loc. cit. si vero sit parvum, nobiles relegantur in perpetuum, viles vero pœna metalli puniuntur juxta Cyn. ibidem, quamvis Menoch. de arbitrar. cas. 399. nu. 27. & 33. asserat pœnam in incendio doloso extra Civitatem, & oppidum esse Judici arbitrariam, & allata distinctio in materia incendii inter nobiles & plebejos delinquentes est fundata in ipsa Juris dispositione expressa in L. licere §. qui data ff. de incend. &c. & in L. Pedius §. Divus Pius ff. eod. sicuti in dicta L. Capitalium fundatur distinctio inter incendium commissum in Civitate, & Villa, cum in Civitate vel oppido periculum sit ne homines comburantur, deformitas ornatus Urbis eveniat, & similia.

Quod si ex incendio etiam Ruri facto homo perierit, nullo habito respectu, incendiarius condemnari debet ad mortem juxta Bajard. ad Clar. qu. 68. num. 52. Caball. loc. cit. num. 5. & Giurb. cons. 48. numer. 16. in fin. sique incendium commissum fuerit ex culpa lata, aut levi, pœna corporalis, vel arbitraria Judici infligenda est citra tamen mortem, ut videre est apud Raynald. Tom. 2. c. 13. nu. 35. & seq. sique culpa fuerit levissima, non habet locum pœna Criminalis, sed ejus loco damni emendatio. Farinacc. quæst. 110. num. 20. sique incendium fuerit mere fortuitum, ad nullam emendationem, vel satisfactionem quis tenetur. L. si vendita ff. de periculo, & commodo rei vend. L. penultima ff. de incendio &c. in dubio autem præsumitur incendium sequutum culpa inhabitantium, nisi contrarium probetur. L. 3. ff. de Offic. Prætorium. 46

Incendiarios vero messium mortis pœna puniendos fore, dixi ex Bald. & Angelo de Federic. Resol. 37. nu. 5. maxime quando messis fuerit prope aliquod ædificium, cum tale incendium tendat in eversionem, & detrimentum publicæ utilitatis, qui tamen auctor num. 5. advertit, hoc fortasse a Judice non fore exequutioni demandandum, si homo ex incendio non perierit, idemque sentit Caball. dicto casu 22. num. 7. quia secluſa hominis internecione, crimen hoc inter privata recenſetur, in quibus Judex arbitrio suo punit: quare Caball. ibidem 47

dem asserit, eum qui ex odio, & inimicitia acervum frumenti triturati noctu combusserit, damnandum fore ad Triremes ad tempus.

48 Hi autem depopulatores agrorum, si noctu crimen commiserint, & alienas segetes combusserint, privantur Ecclesiastica immunitate ex nota Bulla Gregor. XIV. & ego dixi in meis Instit. Canonicis parte 2. Tit. 17. num. 27.

49 Hactenus recensuimus pœnas a Jure Civili contra Incendiarios statutas, de Jure autem Canonico Incendiariis Ecclesiarum locorum piorum, imo & Cæmeteriorum, & locorum quæ contigua sunt intra 30. passus, ipso Jure sunt excommunicati Can. Canonica 11. quæst. 3. ubi ibidem statuitur de omnibus violatoribus Ecclesiarum, & sacrilegis, & tales incendiarii postquam per sententiam fuerint declarati excommunicati, a nullo præter Papam absolvi possunt. C. tua nos de sent. Excom. antea vero etiam Episcopus potest absolvere. Hostiens. in sum. Rubr. de Incendiariis n. 9.

50 Incendiarii vero aliorum ædificiorum non sacrorum sunt excommunicandi. Can. si quis, & Can. seq. 23. qu. 8. quamvis ex recepta consuetudine & hi, esto non fuerint denunciati, habeantur pro excommunicatis ipso Jure juxta Hostiensem loc. cit. & Sylv. in sum. v. Incendiarii quæst. prima num. 2.

51 Contra Clericos incendiarios nulla a Jure pœna est statuta, fortasse quia Canonum conditores non sunt arbitrati, Clericos hujusmodi scelus absque ulla utilitate propria, & cum magno aliorum detrimento patraturos fore; quare juxta loci, & damni qualitatem & quantitatem, pœna quoad Clericos est arbitrio Judicis determinanda. Diaz. in pract. Can. Crim. cap. 109.

52 Ulterius Jus Canonicum incendiariis prohibet Ecclesiasticam sepulturam. Can. pessimam 23. qu. 8.

53 Excipi debet, nisi incendiarius in morte pœnitens, & absolutus obierit, tunc enim in loco Sacro sepeliri posse decernit Text. in C. in literis de raptoribus &c. in quo dicitur incendiarium, qui pœnitens obiit, fore sepultura donandum Ecclesiastica, ejusque hæredes monendos, ut condigne ab eo damnificatis satisfaciant; sed quia Text. addit *ut sic a peccato valeat liberari*, putant Interpretes lectionem esse mendosam, & legendum fore in plurali *valeant liberari*, quatenus nempe hæredes resarciendo damna a defuncto illata liberentur a culpa negligentiæ, seu omissionis: ipse enim defunctus jam a culpis suis liberatus fuerat per contritionem, & præceptum factum hæredibus de damnis reficiendis. Ita legunt Navarr. in man. c. 27. nu. 68. & Pirring. in 5. Decretal. Tit. 17. sect. 2. num. 53.

Gonzalez autem ad dictum Text. num. 3. putat absque ulla literæ correctione mentem Alexandri III. in dicta Decretali fuisse, hæredem debere satisfacere pro damnis illatis a defuncto, quia cum ipse valde negligens fuisset in satisfactione, si ejus onus hæredibus injunxerit, hi restituere debent, ne incurrant peccatum non restituendo: alias enim certum est, restitutionem factam ab hæredibus non liberare animam defuncti a Purgatorio, quia vel hic e vita decedens præcepit hæredibus, ut restituerent, & etiamsi non restituant, anima in Purgatorio non detinetur; sequeretur enim, quod si numquam hæredes restituerent, semper anima in Purgatorio detineretur, quod est absurdum, quia quis pateretur pro culpa non sua, quæque non est ullo modo in libera ejus potestate: vel debitor culpabiliter neglexit restituere, nec etiam hæredes decedens jussit restituere, & ejus anima non liberabitur a pœnis inferni, ad quas damnatus est propter peccatum, & omissionem faciendæ restitutionis. Ita S. Thom. quodlibet 6. art. 13. Navarr. l. cit. Suar. Tom. 4. in 3. parte disp. 48. sect. 8. 54

sect. 8. num. 20. Barb. ad dictum cap. in literis num. 4.

55 Jam vero violatores Ecclesiarum ii in Jure Canonico dicuntur proprie, qui Ecclesias, vel alia loca Religiosa, & pia violenter effringunt, easque spoliant, qui ipso Jure sunt excommunicati. Can. Canonica 11. q. 3. Can. omnes, & Can. quisquis, qu. 4. & C. conquesti de sententia excomm. ibique Gl. verb. *excommunicatos*: ad quam excommunicationem incurrendam, copulative requiritur effractio violenta, & spoliatio gravis sive per furtum, sive per aliam gravem læsionem illatam rebus, vel bonis Ecclesiæ; alias enim excommunicationem ipso facto non incurrunt, sed sunt excommunicandi sacrilegi hujusmodi per sententiam Judicis. Glos. cit. & Suar. de Censur. disp. 22. sect. 2. num. 6.

Ulterius hujusmodi violatores in ipso crimine deprehensi, non debent admitti ad pœnitentiam, nisi prius damna resarciant, ac de iis reparandis caveant, sique in articulo mortis constituti cautionem hanc præstare nequeant, ad pœnitentiam quidem admittuntur, sed Clericis vetitum est eorum sepulturæ interesse, aut eleemosynas ab iis recipere (quæ præsumuntur provenire a rebus subtractis, & alienis) sub pœna depositionis ab ordine, & privatione Beneficiorum. C. super eo, de raptoribus. 56

TITU-

TITULUS ULTIMUS.

De Crimine injuriarum, & famosi libelli.

1 INjuria hic contumelia est, vel læsio in hominis corpus, res, vel famam illata.

2 In corpus infertur: primo cum aliquis verberatur L. prima ff. de injuriis, & famosis libell. imo etiam si quis verberatus non fuerit, per ipsas minas verberationis dicitur injutia commissa; imo per solam elevationem manus, alapam comminantis juxta Text. in L. item prope initium ff. Tit. mox laudato.

3 Secundo, si quis curaverit, ut persona cujuscumque sexus ex honesta impudica evaderet. L. attentari ff. eod. Tit.

4 Tertio, cum quis læditur in sui, vel suorum imaginibus. L. si statua ff. dicto Tit.

5 Et ultimo si quis in cadavere, vel liberis, uxore, aut altera persona suæ potestati, vel affectui subjecta, læsus fuerit. L. 1. vers. *per alias* ff. eodem.

6 Non læditur autem uxor ob injuriam illatam viro §. patitur Inst. de injur. quia vir defendere debet uxorem, non uxor virum, nisi tamen injuria esset communis, puta quia quis diceretur maritus meretricis, tunc enim uxor eam nomine proprio vindicare posset. Farinac. in prax. p. 3. q. 105. num. 275. Ita etiam Episcopus agere potest ob injuriam illatam Ecclesiæ suæ, vel Clerico sibi subdito, & Abbas Regularis ob injuriam Monacho subdito factam, Farinac. loc. cit. num. 291. & seqq.

7 In rebus autem injuriam dicitur committere primo qui in fundum alterius invito domino ingreditur. L. qui in domum ff. pariter eod.

8 Ulterius qui prohibet alium re sua uti pro libito. L. si quis proprium ff. eod. Tit.

Fama autem, vel honor alienus 9
dupliciter lædi valet, vel verbis, vel scriptis.

Verbis primo læditur per convi- 10
clum, scilicet per contumeliam a pluribus in aliquem dictam, vel ab uno in cœtum plurium; ut enim ait Text. in L. item ff. dicto Tit. *Cum in unum complures voces conferuntur, convicium appellatur, quasi convocium.*

Secundo, per maledictum verbis 11
injuria alteri infertur, quando scilicet in alium, non tamen in plurium conventum, turpe aliquid improperatur: quod si esset verum, injuriam passus fieret infamis, puta si dicam alicui, tu *es falsarius*, vel honestæ mulieri, *tu meretrix es.*

Pœna Criminalis hujus delicti re- 12
gulariter Judici arbitraria est, nisi pœnam determinatam loci consuetudo induxerit. Farinac. de variis ac diversis criminibus quæst. 105. num. 56. & seqq.

Præter actionem criminalem, com- 13
petit etiam injuriam passo actio civilis ad æstimationem injuriæ receptæ sibi applicandam.

Verum tamen est, quod si prius 14
intentata fuerit actio civilis, nequeat postea criminalis intentari, & viceversa, quia cum utraque ex illis tendat ad vindictam injuriæ passæ, per electionem unius videtur alteri renunciatum. DD. communiter apud Farinac. l. c. num. 28. & 32.

Advertendum tamen, quod si prius 15
fuerit intentata actio Civilis, non ad injuriæ æstimationem, sed ad damnum, & interesse, non intelligatur prohibita actio Criminalis juxta Farinac. ibid. num. 30.

Finitur autem actio criminalis injuriarum lapsu unius anni, quamvis 16

Civilis sit perpetua. Clar. in prax. §. injuria nu. 9. Vel etiam si ei renuncietur expresse per factum, aut transactionem, vel tacite per dissimulationem, aut familiarem conversationem cum eo, a quo quis injuriam recepit. Farinac. loc. cit. num. 312. & seqq. condemnatus autem actione injuriarum, præsertim si injuria gravis fuerit, evadit infamis. Clar. ibid. num. 8.

17 Inter injuriarum species potissima censetur illa, quæ ex libello famoso descendit, qui definiri potest quod sit *Cartula quædam reperta quocumque loco, ad alterius infamiam scripta, vel picta*. Contra quod crimen insurgunt Text. in L. unica Cod. de libel. famos. & S. Pius V. in Constit. incipiente *Romani Pontificis providentia*.

18 Ad constituendum autem libellum famosum plura simul requiruntur.

19 Primo, quod auctor non exprimat nomen suum: dicta L. unic. Clar. qu. 68. num. 25. Carpzov. pract. Crim. q. 38. num. 28. & seqq. parte 2. cessat enim nomen, & pœna libelli famosi, quando injuria adversus authorem, qui se ipsum manifestavit, vendicari potest.

20 Secundo, debet exprimi nomen ejus contra quem libellus fuit exaratus. Farin. quæst. 105. num. 476. qui ait non expresso nomine, deveniendum fore ad Torturam contra reum, ut personam indicet: si autem ex ipso libello, & descriptione in eo facta constet contra quemnam emanaverit, adhuc libelli famosi pœna locum habet. L. quod senatus ff. de injur. Bertaz. cons. 237. num. 6. Jodoc. practic. Crim. parte 3. quæst. 105. nu. 171.

21 Tertio, requiritur, quod publicetur, aut per affixionem (quæ tamen non est omnino necessaria juxta Farin. loc. cit. num. 459.) aut alio modo. Farinac. loc. cit. num. 486. Conciol. crim. resol. unica num. 15. & 16. v. *libellus famosus* Vermigliol. cons. 286. num. 67.

Quarto requiritur, quod interveniat dolus malus. L. lex Cornelia §. si quis librum ff. de injur. & L. 1. ff. ad L. Jul. majest. Farinac. loc. cit. n. 481. & seq. 22

Ac demum sufficit, quod in libello aliquis dicatur criminosus, nec requiritur quod certum crimen designetur, cum in libello famoso scribatur id, quod scribitur ad meram infamiam, vel diffamationem alicujus. Bocer. Tract. de libell. fam. cap. 2. num. 15. & Raynald. Tom. 1. cap. 11. §. 1. num. 22. 23

Pœna hujus criminis est ultimi supplicii. L. unic. cit. & in allegata Constit. S. Pius V. innovans pœnas a Legibus, & Sacris Canonibus contra ejuscemodi delinquentes statutas, easdem in statu Ecclesiastico extendit etiam ad pœnam mortis, nec non contra literas monitorum nuncupatas *di avvisi*, continentes alicujus famæ læsionem, aut edentes scripturas, in quibus de futuris successibus, vel de iis differitur, quæ coram Pontifice, vel aliis ad universalis Ecclesiæ status regimen deputatis, secrete tractata fuerint, quæ pœna extenditur etiam ad dictantes, scribentes, & manifestantes libellos famosos, nec non consulentes, & mandantes ut edantur, componantur, emantur, aut vendantur, & multo magis eos vendentes, & ementes. 24

Et quamvis Clarus lib. 5. §. fin. q. 68. num. 25. lit. I. dicat: *Ego autem in practica numquam vidi servari, ut propter libellum famosum aliquis ultimo supplicio afficeretur, sed semper vidi imponi pœnam extraordinariam, puta fustigationis, ictuum funis, & ad summum pœnam Triremium*. Bajard. tamen in additione ad illum num. 69. lit. I. advertit: *Contrarium tamen vidi Romæ servatum in personam literatissimi viri Nicolai Franchi tempore Pii V. Pont. Max.* & Guazzin. de Confisc. bon. Conc. 13. ampliat. 91. num. 4. & Farinac. cons. 145. referunt Joannem Baptistam Piccinardum Cremonensem ob Satyrica carmina exarata contra Clementem VIII. Pont. Max. prædefunctum, & nonnullos Cardinales, fuisse decapitatum, & mulctatum Confiscatione bonorum; quodve si libelli famosi in proprii Principis injuriam, ac dedecus, vel aliquem ex ejus supremis Magistratibus exarati fuerint, pœna mortis indistincte habeat locum, & bonorum confiscatio, quia tunc delictum in crimen læsæ Majest. transfunditur, dixerunt Bursatt. cons. 20. num. 55. Caball. Crim. Res. 235. num. 38. & Matthæus de Re Crim. contr. 74. num. 15. parte 2. 25

26 Maxime si libellus famosus affigeretur in Ecclesia, vel poneretur super Altare. Angel. in dicta L. unic. C. de libell. fam. & Raynald. loc. c. num. 42. §. fin. quia locus est circumstantia delictum aggravans.

27 Advertit autem cum pluribus Raynald. loc. cit. num. 50. quod libellum famosum ab alio factum publicans ob curiositatem, levitatem, aut simplicitatem, non vero animo infamandi, sed potius stylum, & modum compositionis laudans, ac de eo delectatus, quam de proximi infamia, non incurrere pœnam ordinariam impositam contra edentes, vel publicantes libellum famosum, quamvis tamen illa teneantur Bibliopolæ, & mercatores vendentes, & retinentes hujusmodi famosos libellos.

28 Adverte etiam Text. in L. unica, & Bullam Pianam eamdem capitalem pœnam imponere etiam contra manifestantes. Text. enim in L. unida ait: *si vero non statim easdem cartulas, vel corruperit, vel igne consumpserit, sed vim earum manifestaverit, sciat se quasi authorem hujusmodi delicti capitali sententiæ subjugandum*; Et S. Pius V. in Bulla inquit: *statim quod illos, seu illam habuerit, antequam vim earum manifestaverit, corrumpere, seu igni tradere* &c. Volunt autem DD. quod hæ pœnales dispositiones intelligendæ sint de manifestante, & publicante tales libellos, ad hoc, ut illos non lacerans incidat in pœnam ordinariam rigorosam: Ita late pluribus allegatis Farinac. quæst. 105. num. 460. & seq. qui ibid. num. 461. consulit invenientem libellum famosum affixum, præsertim fabricatum contra Principem, vel ejus officiales, ut eum deferat secreto Magistratui, & Justitiæ, præsertim si illum invenerit in propatulo, & coram aliquibus, si enim tunc illum laceraret, esset puniendus, tum quia impediret Judicis processum ex defectu corporis delicti, tum quia præsumeretur, quod cum esset ipse author libelli, laceraverit timens punitionem: si autem dum solus est, nulloque videnti teste, illum invenerit, *benefaciet, si lacerabit; potest enim is, qui dicit inveniisse, si neminem manifestet, torqueri, quia Lex præsumeret, quod ipse fecerit; & de quodam ob hoc torto Ferrariæ refert Cephal. cons. 341. num. 30.* Sunt verba Raynaldi loc. cit. §. 2. num. 11. etsi Bajard. ad Clar. loc. cit. num. 65. firmet contra scribentes, vel retinentes libellum famosum hodie ex generali consuetudine non imponi pœnam capitalem, sed ad summum pecuniariam, Banni, fustigationis, vel ictuum funis.

Adverte ulterius eum, contra quem scriptus fuit libellus famosus, excusari a pœna libelli famosi ordinaria, si contra scribentem tamquam provocatus alium ediderit famosum libellum. Bajard. loc. cit. num. 67. Farin. loc. cit. num. 488. & Grammat. dec. 37. num. 3. videtur enim species quædam defensionis, quæ tolli non debet, nec potest; scriptum est enim Proverb. 26. vers. 5. *responde stulto secundum stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur*. 29

Quinimo si responsio injurianti fiat cum moderamine, & incontinenti ac fieri potest (si enim libellus editus sit voluminosus, requiritur tempus congruum ad apte respondendum, & 30

confutandum illum,) nulla pœna incurretur; Ita enim & S. Hieronymus ſcripſit contra Ruffinum, & S. Bonaventura contra Guillelmum de Sancto Amore, eos impie conviciantes; ſique hoc moderamen in reſpondendo ſervatum non fuerit, ad ſummum tenebitur immoderate, ac intemperanti calamo reſpondens actione injuriarum, numquam autem pœna famoſi libelli, quorum utrumque tollit præcedens provocatio. Bertazzol. & ad eum addendum, conſ. 327. num. 5. & Farinac. loc. cit. num. 489.

31 Idemque dicas ſi aliquis in injuriam inferentem injuriam retorqueat, ſi enim incontinenti faciat, & modus adhibeatur, non tenebitur actione injuriarum, nec erit puniendus; ſicut enim vim vi incontinenti repellere licet L. 3. ff. de Juſt. & Jur. ita & injuriam retorquere in eam inferentem, cum honor; & fama hominis omni pecuniæ ſit præponenda. L. 104. ff. de Reg. Jur. Clar. §. injuria num. 16.

A præfatis autem libelli famoſi pœnis quis non excuſatur, ſi aſſerat ſe 32
ejuſcemodi joci cauſa feciſſe. Zaul. Tom. 1. ad ſtat. Favent. lib. 4. Rubr. 24. num. 20. & 21. ideoque ſub dicta prohibitione veniunt etiam Paſquilli vulgo *Paſquinate* ita dicti, eo quod ad Paſquini ut vocant notiſſimam, & vetuſtiſſimam in Urbe ſtatuam affigi mos improbus invaluerit, quas tamen a Principibus parum fore curandas monet Farinacc. dicta quæſt. 105. inſpect. 10. Videte late de his Paſquillis differentem Carpzov. prax. crim. parte 2. quæſt. 98. num. 3. & ſeq.

Et hæc ſatis in ſecunda parte ha- 33
rum Inſtitutionum dixiſſe ſufficiat.

Finis Secundæ Partis.

INSTI-

INSTITUTIONUM CRIMINALIUM

PARS TERTIA.

Proœmium.

34 DE Criminibus communibus in hac poſtrema Parte nobis agendum, de illis ſcilicet, quorum cognitio ſpectat ad Judicem, æque ſæcularem, ac Eccleſiaſticum, ſi a Laicis tamen committantur: ſi enim a Clericis perpetrentur, de illis cognoſcere poteſt ſolus Judex Eccleſiaſticus. Text. in cap. cum non ab homine de Judiciis.

35 Scitote tamen, neminem poſſe pro eadem cauſa vexari coram pluribus, Judicibus, ut infertur ex c. penultimo de Foro comp. & ex L. qui de Crimine Cod. de accuſat. & ubi cœptum eſt judicium, ibi fore terminandum. L. ubi acceptum ff. de Judiciis.

36 Quamobrem ſi plures Judices (quivis interim illi ſint) in idem crimen, vel eamdem cauſam animadvertere velint, ad illum ſpectabit cognitio, qui alium prævenerit; cap. pen. de foro compet. & L. ſi quis poſtea ff. de Judiciis.

37 Ille autem alium præveniſſe dicitur, qui prius partem coram ſe litigantem citaverit, dummodo tamen citatio fuerit realiter exequuta, imo valide, & legitime facta, quia quod nullum eſt, nullum ſortitur effectum. Ita Farinac. de Inquiſit. q. 7. n. 56. 60. & 61.

38 Quid ſi unus Judex prævenerit prævention̄e verbali, nempe per citationem, alter vero prævention̄e reali, nempe per capturam perſonæ, ad quem ex his Judicibus ſpectabit talis cauſæ cognitio?

Reſpondeo ad Judicem qui reali- 39
ter prævenerit per delinquentis capturam, eſto prius alius prævenisſet mere verbaliter per citationem, quia realis, quæ eſt potentior, præfertur verbali debiliori teſte Farinac. loco mox cit. num. 53.

Advertite tamen, concluſionem 40
hanc procedere quoad vere realiter captum, nam ſi reus ab uno Judice citatus, comparuiſſet, & conſtituiſſet ſe in alterius Judicis carceribus, tunc deberet remitti ad priorem Judicem; præſumitur enim illum fraudolenter alterius Judicis, cui delicti qualitas abunde innoteſcebat, juriſdictionem evaſiſſe, ad effugiendam veriorem ſententiam, quam ab illo ferendam metuebat, juxta Boſſ. in Tit. de Foro competenti n. 98. ſicuti pariter ſi reus captus opponat coram Judice capturæ prævention̄em verbalem ab alio Judice factam, ad illumque remitti petat, ejus eſt votis annuendum, & præferenda in hoc caſu anterior verbalis prævention̄is reali juxta Farin. ubi ſupra nu. 53. §. *ſublimita tertio*, ex quo patet requiri rei capti conſenſum, ad hoc ut Judex Capturæ, licet ab alterius Judicis citatione prævent̄us, reum captum punire queat.

In dubio autem an prævenerit Ju- 41
dex ſæcularis, vel Eccleſiaſticus, cauſæ cognitio ſpectabit ad Judicem Eccleſiaſticum, veluti digniorem. Ita Butr. in cap. cæterum nu. 9. de Judiciis.

TI-

TITULUS PRIMUS.

De Crimine Blasphemiæ.

1 BLasphemia est verbum contumelioſum prolatum in Deum, vel in Sanctos. Ita D. Thom. 2. 2. quæst. 13. & cum Theol. DD. communiter.

2 Dividitur Blasphemia in hæreticalem, eam scilicet, quæ expresse hæresim continet, & in non hæreticalem, eam scilicet, quæ nihil contrarium fidei per se significat.

3 Hæreticalis blasphemiæ primo reus eris, cum tribues Deo aliquid, quod illi non convenit, ut si dixeris illum *injustum, mendacem* &c.

4 Secundo, si neges aliquid de Deo, quod ipsi convenit, ut si summam ejus providentiam, vel scientiam perfricta fronte negares.

5 Tertio, si aliquid Creaturæ tribuas, quod est proprium solius Dei; ut si voces aliquam Creaturam omnipotentem, summe sapientem, infallibilem &c. Consule Castropal. parte 3. operis Moralis Tract. 16. disp. 2. punct. 2. §. 3. num. 2.

6 Blasphemiæ non hæreticales sunt illæ, quibus mediis aliquid mali Deo, vel Sanctis ejus imprecatur, ut si dicatur, *Deus sit Maledictus*; vel *hoc faciam aut Deus nolit, aut velit*, cum per hujusmodi impiam loquendi formulam Divinæ omnipotentiæ derogetur ad mentem Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 32. nu. 15. 18. Imo maledicens Creaturas quatenus sunt Creaturæ Dei, blasphemus esset, cum refundatur maledictio in Creatorem illarum ad mentem D. Thom. 2. 2. qu. 76. art. 2.

Blasphemiæ pariter non hæreticalis 7
reus esset quisquis indecore, & inhoneste Deum, vel Sanctos auderet nominare, ut si illos irrisorie, & per contemptum nominet, puta jurando per pudenda Christi Domini, Sanctorum, vel Beatissimæ Virginis.

Et generaliter quodlibet juramentum 8
falsum, vel injustum blasphemum est, cum in testem injustitiæ, vel falsitatis vocetur Deus, adeoque tribuatur illi aliquid, quod ab ipso omnino est alienum, nempe quod mendacio, vel injustitiæ favere debeat. Consulite Castropal. loc. cit. num. 7. 9.

De Jure communi blasphemia pu- 9
nitur ultimo supplicio juxta Text. in Auth. ut non luxurientur vers. *si enim*. De Jure autem Divino blasphemi lapidibus erant obruendi, ut constat ex Levit. cap. 24.

Ex praxi tamen, & consuetudine 10
blasphemiæ pœna nunc temporis est Judici arbitraria; modo enim pecuniaria est, modo infami mitra tempora redimiti ante fores Ecclesiæ blasphemi stare coguntur, modo eis lingua impium tanti sceleris instrumentum perforatur, nunc ad berlinam ponuntur publicis irrisionibus impetendi, & modo etiam damnantur ad triremes, quemadmodum testatur Farinac. de Delict. & pœn. quæst. 2. num. 66. & 67.

TI-

TITULUS II.

De Crimine Sortilegii.

1 SOrtilegium, cum non tot, quin plures sui species habeat, describi verius, quam definiri potest, quod sit *superstitio illusoria, & summa noxia, qua utitur homo dæmonis ministerio*. Desumitur hæc descriptio ex D. Thom. 2. 2. quæst. 95. art. 4.

2 Summa, & primaria sortilegij divisio est in *divinativum*, in *amatorium*, & in *veneficum*.

3 *Divinativum* est id, quo sortilegii futura quædam, præsentia, aut præterita ipsis ignota conantur vaticinari modis indebitis, scilicet dæmonis instructione.

4 *Amatorium* vero est illud quod fit ad animos alias pudicos tum mulierum, tum virorum flectendos ad impudicum amorem, de quo ait Text. in L. eorum Cod. de Malefic. & mathematicis.

5 Amatorium sequitur sortilegium, quod veneficum, seu maleficum nuncupatur, eo quod semper tendat ad malum alicui inferendum, & est illud, vigore cujus in hominibus, aut brutis variæ gignuntur calamitates, & morbi, quibus deinde correpta, vel moriuntur illico, vel absumuntur paulatim ad Text. in dicta L. eorum, & L. multi C. de maleficis, & mathem.

6 Jam vero alia sortilegiorum divisio est in illa, quæ sunt conjuncta cum hæresi, & in illa, quæ conjuncta non sunt.

7 Sortilegium hæresim continere dicitur primo tunc cum sortilegus expresse pactum init cum Dæmone, vel ab illo petit ea, quæ a solo Deo fieri, & cognosci possunt, ut si peteret resurrectionem defuncti, vel scientiam arcanorum, quæ in hominum cordibus occultantur.

8 Secundum esset, si Dæmonem coleret, eique preces funderet, & præstaret obsequium.

Tertium, si sacramenta, sacramen- 9
talia, vel quascumque alias res sacras adhiberet in maleficij usu; quia tunc censetur ipsum credere res sacras habere virtutem ad gignendos hujusmodi effectus execrabiles.

Quartum, si sortilegus baptizaret 10
imagines, puerum baptizatum rebaptizaret, vel aliud simile ageret, quod hæresim manifesto præseferret, committeret sortilegium cum hæresi etiam conjunctum. Ita Azor. Tom. 1. Inst. Moral. lib. 6. cap. 26. quæst. 4.

Et demum ex parte saltem operan- 11
tis hæreticalia sunt omnia sortilegia commissa ab illis, quia diabolicam hujuscemodi artem profitentur expresse; ab illis scilicet, qui fidem Christi expresse abnegantes iterum se baptizarunt in nomine Beelzebub & diaboli, & ipsimet homagium, & obedientiam promiserunt, vel private, vel dum infelix ille tenebrarum Princeps in suæ iniquitatis solio residebat convocato infami cœtu strigarum, necromantium, & similis farinæ maleficorum. Consulite Farin. de del. & pœn. quæst. 20. num. 77. & plur. seq.

Inter sortilegia hæresim manifesto 12
non continentia recenseri possunt vanæ quædam observationes, ut essent colligere herbas in die S. Jo: Baptistæ, vel aliqua nolle facere in die Veneris; nam si quis credat herbas dicta die collectas majori virtute præditas, vel die Veneris peracta negotia infausto exitu fore donanda, procul dubio superstitioſi notam incurret; quam enim cum hujusmodi effectibus dictæ dies habent connexionem? juxta text. in Can. non observetis, & seq. 26. quæst. 7.

Si-

13 Sicuti pariter sortilegium esset censere necessariam vanam aliquam circumstantiam ad operandum aliquem effectum, v. g. certum Crucium numerum tali, & tali hora adhibitum &c. juxta Bonacin. Tom. 2. operis Moralis disp. 3. circa primum Decal. præceptum quæst. 5. punct. 4. per tot.

14 Deveniendo jam ad pœnam, qnæ sortilegos persequitur: Dico primo, quod sortilegi hæreticales puniendi sunt modo, quo diximus agentes de hæresi puniendos hæreticos Text. in cap. accusatus §. sane de hæreticis in 6.

15 Aliis vero sortilegis tantum imponitur de Jure Civili pœna crematio-nis, & gladii juxta Text. in L. nullus, & L. nemo C. de maleficis, & marhem.

16 De Jure autem Canon. si Clericus est sortilegus, deponitur ab Ordine sacro, quo est insignitus, & omnibus privatus beneficiis detruditur in monasterium, ut ibi perpetuam admissi sceleris agat pœnitentiam. Text. in Can. si quis Episcopus 26. quæst. 5. & in Can. admoneant 26. quæst. 7.

Quod si sit Laicus, variis pœnis 17
afficitur, modo scilicet verberibus, modo carcere, modo exilio, modo excommunicatione, ut constat ex variis textibus in caus. 26. quæst. 5.

Cæterum ex praxi solent hujusmo- 18
di sortilegi non hæreticales, vel fustigari, vel infami mitra publice dehonestati banniri, vel ad triremes transmitti, vel mulctari pecuniariter, & juxta sortilegi, & sortilegiorum qualitates arbitrio Judicis affligi modo gravius, modo levius, teste Farin. de delict. & pœn. quæst. 20. num. 89.

TITULUS III.

De Sacrilegio.

1 SAcrilegium est *rei sacræ læsio, seu violatio* ad mentem D. Th. 2. 2. quæst. 99. art. 1. Res autem sacra illa est, quæ Lege divina, vel Ecclesiastica in cultum Dei est destinata; adeoque vides discrimen intercedens inter Blasphemiam, sortilegium, & sacrilegium, quod nempe prima duo delicta offendant Deum in se ipso, sacrilegium vero offendat Deum in rebus suis, quæ indebito modo a sacrilego pertractantur, & in hoc stat hujus Criminis malitia. Ita Suarez tomo primo de Religione Tract. 3. lib. 3. de sacrilegio in proæmio.

2 Triplex est sacrilegium correspondens rebus sacris violatis, quæ pariter & ipsæ in triplici sunt differentia; aliud namque est sacrilegium personale, quo personæ sacræ læduntur, alterum sacrilegium locale, quod fit per violationem loci sacri, & ultimum sacrilegium reale, quod committitur cum res sacræ violantur.

Sacrilegium autem reale, quod cir- 3
ca res sacras committitur tripliciter fit, aut scilicet per hoc quod tollatur sacrum de sacro, aut sacrum de non sacro, aut non sacrum de sacro. Text. in Can. quisquis inventus 17. quæst. 4.

Tollitur sacrum de sacro, cum v. 4
g. ex Ecclesia, vel ejus sacrario tollitur patena, vel Calix.

Quod si aliquid ex hujusmodi re- 5
bus consecratis, non ab Ecclesia vel ejus sacrario auferatur, sed ab alio loco, ubi asservata existat, committitur alia species sacrilegii realis, nempe sacrum de non sacro.

Et demum dicitur tolli non sacrum 6
de sacro, cum aliqua res non consecrata

crata e loco sacro aufertur, qualia essent nota argenta altaribus appensa, vel lampades Ecclesiæ.

7 Ex quo infert Bonacina Tom. 2. operis Moralis disp. 3. circa primum Decal. præc. quæst. 6. punct. unico num. 23. §. *hinc colligitur*, quod fur occulte alteri crumenam in Ecclesia surripiens sacrilegium committat, cum non sacrum de sacro tollat.

8 Pœna autem hujus delicti modo gravior, modo levior arbitrio Judicis imponenda est pro mensura sacrilegii ipsius; certum autem est, quod si sacrilegium sit grave, possit arbitrium Judicis extendi usque ad pœnam mortis, quale sacrilegium v. g. esset furtum alicujus custodiæ, in qua Sacrosancta Eucharistia asservaretur, teste Claro lib. 5. sentent. v. sacrilegium num. 3.

Rationem autem, qua dictus Ju- 9
dex modo augere, modo minuere debeat hujus criminis pœnam, affert Text. in L. Sacrilegii pœnam ff. ad L. Juliam peculatus sic inquiens: *Sacrilegii pœnam debebit Proconsul pro qualitate personæ, proque rei conditione, & temporis, & ætatis, & sexus, vel severius, vel clementius statuere: & scio multos ad bestias damnasse sacrilegos, nonnullos & vivos exussisse, alios vero in furca suspendisse*: Ex quibus postremis verbis clare colligitur aliquando sacrilegium capitali mortis pœna fore mulctandum. Vos interim consulite Castropal. loco superius citat. §. 4. per tot.

TITULUS IV.

De Crimine Falsi in literis Apostolicis commissi.

1 DE Crimine falsi, quod est delictum mere sæculare, in secunda parte harum Institutionum jam diximus, de illo nunc, quod committitur in literis Apostolicis, utpote de eo, quod est mixti Fori, agimus hic.

2 Scias igitur nomine literarum Apostolicarum venire illas, quæ nomine summi Pontificis expediuntur, quæ si plumbatæ sint Bullæ, si Cereo signentur sigillo, Brevia, si vero offerantur Summo Pont. & ab ipso, vel alio ejus nomine signentur, supplicationes vocantur: quapropter inter literas Apostolicas recenseas Bullas Datariæ, Cancellariæ, & Pœnitentiariæ Apostolicæ juxta Jo: And. in cap. ex literis de Fide Instrumentorum nu. 4.

3 Illas vero falsificare dicitur, qui falsificat non solum literas, & supplicationes a S. Pontifice signatas, sed etiam ab alio de mandato tamen Papæ ipsius juxta sextam Excommunicationem latam in Bulla Cœnæ Domini.

Et falsarius est qui literas Apos- 4
tolicas falsificat, esto eis postea non utatur, & qui easdem jam in suo esse completas falsificat, quamvis injustæ sint, vel invalidæ, imo æque si falsificatæ fuerint per se, ac per alios juxta Text. in cap. ad falsariorum de Crimine falsi, qui textus licet ad falsariorum hujusmodi punitionem requirat, quod dictum falsitatis vitium *exerceant*, & per consequens verbum *exercere* videatur secum ferre delicti frequentiam, tamen non impedit quin puniri debeat etiam ille, qui unica vice literarum Apostolicarum fuerit falsarius, quia verbum *exercere* in dispositione pœnali per unicam etiam vicem verificatur. Ita Farinac. de falsitate, & simulatione quæst. 151. num. 31.

Imo etiam si quis per literas Apo- 5
stolicas falsificatas nemini præjudicium

attulerit, adhuc pœnam suam non declinabit, quia ad illam subeundam sufficit contemptus Pontificis, qui literas concessit, & cujus auctoritati non levis irrogatur injuria per temerariam hujusmodi literarum falsificationem, quod patet ad sensum in literis gratiæ, dispensationibus, Indulgentiis &c. quæ a sede Apostolica expediuntur, & quarum ope nulli damnum potest inferri, cum sint literæ gratiæ, non autem justitiæ juxta Castropal. parte sexta operis Mor. Tract. 29. disp. 2. punct. 7. n. 4.

6 Modos, quibus literæ Apostolicæ falsificantur enumerat Text. in cap. 5. de Crimine falsi, ibique Glos. in v. *falsitatis*, nempe si pro illis aliæ supponantur falso appositio Sigillo. Secundo si aliquid addatur, vel immutetur, puta data earumdem, tempus nempe quo fuerunt expeditæ. Tertio si cancellentur, vel interlineentur. Quarto si filum foraminis immutetur, vel detruncetur; & quinto si abradantur in una etiam litera, ex qua abrasione sensus immutatio sequatur.

7 Præcipue tamen dignoscitur falsitas literarum ex improprietate titulorum, quibus Pontifex appellat eos, ad quos scribitur, ut dicitur in capitulo quam gravi de crimine falsi; sciendum siquidem quod Pontifex Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos omnes nomine fratris appellat, ut ostendat illos in partem sollicitudinis vocatos, & in exequutione Sacerdotalis officij coadiutores esse Pontificis. Cardinales autem, si illis permixtim loquatur, vocat Venerabiles fratres, si vero singulis, nuncupat dilectos filios. Reges appellat Carissimos filios, alios vero Principes dilectos filios.

His præsuppositis dico primo, quod 8
falsificantes literas Apostolicas tam per se, quam per alios, vel Laici sint, vel Clerici, excommunicantur c. 7. de Crim. falsi.

Dico secundo, si Clerici id criminis auferint, beneficiis, & officiis esse spoliandos juxta dictum cap. decimum.

Dico tertio, quod ulterius Clerici 9
hujus criminis rei, degradandi sunt, & curiæ sæculari tradendi, ut ab ipsa ultimo tradantur supplicio, qua pœna affliguntur etiam Laici falsificantes rescripta Regum, vel Principum habentium Jura Regalia Text. in L. ubi falsi Cod. ad L. Corneliam de falsis, ibique, Gloss. in v. commissi & Farinac. de falsitate dicta qu. 151. n. 4. & 63.

Notandum tamen, Clericos, qui 10
non per se sed per alios hoc falsitatis vitium exercuerint, non esse degradandos, & sæculari tradendos Curiæ, ut ab illa puniantur. Text. est in dicto cap. ad falsariorum de crimine falsi.

Sicuti pariter ut patet ex eod. cap. 11
si Clerici literas Apostolicas non falsarunt, sed illis falsis scienter, vel culpabili ignorantia ducti utantur, non ipso facto, sed per Judicis sententiam suis beneficiis privandi sunt,

TITULUS V.

De Crimine Usurarum.

1 HOc nomen *Usura* importat commodum vel fructum provenientem ex usu alicujus rei juxta illud Tullii de senectute: *Terra numquam sine usura reddit quod accipit*; Quod si commodum hoc oriatur ex contractu mutui, usura est crimen, & quatenus crimen est, definitur usura: *Lucrum immediate ex mutuo proveniens*.

2 Dicitur *lucrum*, ideſt quodvis temporale pecunia æstimabile.

3 Dicitur *immediate ex mutuo proveniens*, quia ut usura delictum sit, non debet utcumque provenire ex mutuo, sed tamquam debitum strictum, & rigorosæ Justitiæ commutativæ: Hinc si mutuans intendat aliquid consequi a mutuatario, sed ex mera gratitudine, & honestate, non imponendo tamen illi ullam aliam obligationem, usuram non committet.

4 Dividitur primo usura in mentalem, & realem: mentalis usurarius es, si vi mutui intendas consequi aliquod lucrum tamquam tibi ex justitia debitum, quod tamen tibi vere deberi non potest. Realis vero, cum revera hoc lucrum accipis, vel illud recipiendum deducis in pactum.

5 Rursus alia est usura propria, quæ committitur in contractu mutui, alia impropria, seu palliata, quæ in multis contractibus intervenire potest, in quibus si non adest mutuum expressum, saltem est tacitum.

6 Et primo quidem in emptione, & venditione plurimis in casibus usura palliata committitur.

7 Primus casus est, quando Titius e. g. venderet domum Cajo majori pretio, ac esset pretium supremum domus, concessa tamen illa dilatione quinquennii ad solvendum: tunc enim censetur Cajum emptorem solviſſe illico pretium domus venditori, & venditorem postea receptum pretium mutuasse emptori usque ad terminum illi concessum ad solvendum, adeoque cum aliquid ultra sortem, & prerium justum *illi* a mutuatario, seu emptore solvendum sit, usura committitur. Ita D.Th.2.2. q. 78. art.2. ad 7. & DD. communiter.

8 Secundum casum pariter ita figuro. Titius vult emere equum a Sejo, & quia solutionem pretii anticipat, emit illum minori pretio, ac infimo, adeoque injusto. Dico, illum esse usurarium. Ratio est quia censetur pecuniam, quam solvit, mutuasse venditori usque ad tempus præfixum traditioni Equi venditi, & per consequens lucrum quod acquirit minus pretium solvendo, acquirit ex capite mutui; ergo cum usura. Ita D. Thom. loc. cit. & cum ipso DD. turba non levis. 8

Potest etiam usura palliata inter- 9
venire in contractu pignoris, vel hypothecæ; quomodo autem evenire possit explico.

Primo, si ego e. g. darem mutua 10
100. Petro, & deberem 100. Joanni, & cogerem Petrum mutuatarium, ut daret pignus Joanni meo creditori in securitatem ejus, quod illi debeo, usuram prorsus committerem; obligatio enim pignorandi, quam impono mutuatario est pretio æstimabilis. Ita Onnate Tom. 3. de contractibus p.2.Tract.30 disp.106.sect.5.n.55.& seq.

Secundo, pactum legis commissoriæ 11
in pignoribus usurarium est.

Pactum legis commissoriæ ita dici- 12
tur, non quia aliqua lege sit inductum, sed eo quia oritur ex conventione partium vicem Legis habente. Dicitur *commissoriæ*, quia contractum violans, in quo hujusmodi pactum est

appositum, incidit in commissum ideſt privatur jure ſuo.

13 Pactum igitur Legis commiſſoriæ in pignoribus eſt cum debitor convenit cum creditore, ut ipſo ad diem ſtatutum debitum non ſolvente, pignus maneat creditoris. Reprobatur hoc pactum ob periculum uſuræ palliatæ, quæ ſub ipſo latere ſolet, quia cum plerumque pignora ſuperent ſemper in valore debitum, fieri facile poteſt, ut creditor ſupradicto modo pigneus acquirendo, accipiat a debitore aliquid amplius, quam ſibi debeatur. Text. in cap. ſignificante de Pign. & Caſtropalaus Tom. 7. operis Mor. Tract. 33. diſp. 4. punct. 23. numer. 2.

14 Et eſto in aliquo caſu pignus datum non excedat debitum, adhuc pactum hoc ſi fuerit appoſitum eſt reprobandum, cum ad hoc, ut pactum non valeat, ſatis ſit, quod ex vi illius periculum fuerit, ne aliquid creditor ultra debitum exigeret a debitore. Et Lex mota fuit ad hæc pacta damnanda ex periculo uſuræ palliatæ, ideoque non requiritur quod illa intervenerit, ſufficit quod potuerit intervenire juxta Caſtropal. ibid.

15 Sed inquies: pactum Legis commiſſoriæ licitum eſt in venditione, poteſt enim fieri a venditore pactum cum emptore, quod ſi emptor tali die pretium non ſolvat, res ſit invendita, ut patet ex toto Tit. ff. de Lege commiſſoria: Ergo ſimile Legis commiſſoriæ pactum licitum erit etiam in pignoribus.

16 Reſpondeo concedendo antecedens, & negando conſeq. Ratio diſcriminis eſt, quia in emptione, & venditione ſi pactum hoc apponatur, non eſt periculum uſuræ, ſeu quod poſſit aliquid ultra ſortem accipi, quod tamen periculum intervenit, ſi hujuſmodi pactum in pignoribus apponatur.

17 Tertius caſus, quo uſura committitur in pignore, eſt, ſi data ſit in pignus res fructifera, & creditor, deductis expenſis, fructus ex illa percep-

ptos penes ſe retineat, nec reddat debitori, aut in ſortem capitalis computet, quia nos diximus agentes de pignore, eam eſſe hujus contractus naturam, quod nempe detur non ad fructificandum creditori, ſed in præciſam crediti ſecuritatem ad Text. in cap. 1. & 2. de uſur.

Limitatur tamen hæc concluſio in 18
marito, qui ſi pro dote adhuc non ſoluta in pignus habuerit a dotante prædia frugifera, poteſt fructus ex illis perceptos retinere; præſumuntur enim dati pro ſubſtinendis oneribus matrimonij. Text. eſt in cap. ſalubriter de uſuris.

Limitatur ſecundo concluſio in pro- 19
prietario, ſeu Domino directo, qui ſi a Vaſſallo Feudum, vel ab Emphiteuta rem Emphiteuticam in pignus acceperit, poteſt etiam licite fructus ex illis accipere, & ſibi retinere ad Text. in cap. primo de Feud. & cap. conqueſtus de uſur. Et rationem cum Covarr. lib. 3. var. cap. primo nu. 4. reddunt DD. communiter, quia conſuetudo jam obtinuit, ut quoties Domino directo Feudum, vel Emphiteuſis tradatur in pignus, poſſit illos Dominus directus accipere, quin computet in ſortem, cum de facili res revertatur ad ſuam naturam, & fructus ad proprietatem.

Aſſerit tamen Caſtropal. parte 7. 20
operis Moral. ubi ſupra puncto 22. nu. 1. teneri in dicto caſu Dominum directum remittere Emphiteutæ, vel Vaſſallo penſionem conſuetam, quæ ab illis ſolvitur Domino directo in recognitionem, & pro dominio utili quod habent; fructus enim, quos colligit Dominus directus, ſunt ſubrogati a Jure in locum penſionis a Dominis utilibus ſolvendæ.

Sed dices quæ utilitas oritur Do- 21
mino directo ex perceptione iſtorum fructuum, ſi eos colligendo penſiones remittere debet Domino utili?

Reſpondeo, hoc ipſum eſſe pretio 22
æſtimabile, ideſt obligare vi mutui debitorem, qui pignus tradidit, ad ſubſti-

ſtinendam hanc æquivalentiam, ut creditor poſſit ſuum debitum conſequi, vel percipiendo fructus ex pignore, vel aliter cogendo debitorem ad debiti ſolutionem, ultra quod majori fruitur utilitate creditor, qui rei fructiferæ debitoris incumbit, quam qui pro debito aſſequendo, adhuc debitorem perſequi debet.

23 Vidiſtis quomodo in præfatis contractibus uſura palliata intervenire queat. Scitote nunc in reliquis contractibus oneroſis etiam uſuram intervenire poſſe, quando dicti contractus tranſeunt in mutuum tacitum. Pro qua uſura palliata dignoſcenda regulam habeatis, quod quoties ratione anticipatæ, vel dilatæ ſolutionis, aut pecuniæ, aut mercium ultra ſortem, ideſt ultra juſtum pretium rei conventæ aliquid accipitur, uſura palliata deliteſcat. Regulam hanc menti tenaciter figite, refert enim illam Onnate de contract. Tom. 3. parte 2. tr. 3. diſp. 106. ſect. 2. num. 19. & plur. ſeq.

24 Scitote jam dari quaſdam cauſas excuſantes ab uſura, & tamen permittentes mutuanti aliquid ultra ſortem accipere.

25 Harum prima eſt damnum emergens, quod oriatur ex mutuo, vigore cujus poteſt, abſque uſuræ labe, aliquid præter ſortem exigere mutuans, cum nemini beneficium proprium debeat nocumentum afferre juxta DD. communiter. Verbi gratia Titius habebat pecuniam paratam ad reficiendam domum ruinæ proximam, eam mutuavit Sejo, quare domus non refecta, vel faciliori ruinæ remanſit expoſita, vel vere ruit. Ratione hujus jacturæ paſſæ in rebus ſuis, poteſt aliquid accipere ultra ſortem.

26 Quoad damnum igitur emergens ſit prima concluſio. Si mutuans cogitur ad mutuandum, vel Judicum poteſtate, vel præciſa vi, poteſt petere damnum emergens, etiamſi de illo ſolvendo non pepigerit cum mutuatario: & ratio eſt; quia damnum hujuſmodi abſque ſua voluntate patitur mutuans. Ita D. Thom. 2. 2. quæſt. 62. art. 4. in corp.

Secunda concluſio: ſi mutuatarius 27
fuit in mora ſolvendi mutuum, debet reficere damnum emergens ipſi mutuanti, etiamſi de hoc non fuerit diſpoſitum in datione mutui. L. cum quidam §. ſi pupillo in fin. ff. de uſur. & paſſim DD. Ratio autem eſt trita regula Juris in cap. mora de Regul. Juris, quod nempe mora ſua cuilibet ſit nociva: & ratio a priori eſt, quia cum hac tacita lege mutuum cenſetur conceſſum, quod nempe mutuatarius ſi ſit in mora reſtituendi, omnia damna pendere debeat.

Tertia Concluſio: ex mutuo non 28
coacto etiam ante moram licet aliquid accipere ultra ſortem ratione damni emergentis; & ratio eſt quia mutuatarius tenetur reficere damnum, quod infert, nec mutuans debet detrimentum ſubſtinere ex proprio beneficio. D. Thom. 2. 2. quæſt. 78. art. 2. ad 1.

Ut autem hoc damnum emergens 29
ex mutuo abſque uſura exigatur, tres conditiones a DD. ſunt requiſitæ.

Prima eſt, quod vere hujuſmodi 30
damnum ſequatur ex mutuo, alias enim mutuans illud ex proprio beneficio non ſentiet.

Secundo requiritur, ut damnum 31
ſit certum, & juxta certitudinem, quam habet, prudentum arbitrio æſtimetur.

Tertio, debet hoc damnum ſolven- 32
dum deduci in pactum, & notificari mutuatario, alias enim illi injuria fieret. Videte Leſſ. lib. 2. capitul. 20. dub. 10.

Sicuti ratione damni emergentis, 33
ita paritex citra uſuram poteſt aliquid ultra ſortem exigi ratione lucri ceſſantis, ne ſcilicet mutuans ex ſuo beneficio detrimentum patiatur. Ita DD. communiter. Verbi gratia mutuavi tibi pecuniam jam paratam ad

ne-

negotiandum, vel triticum, quod eram proxime seminaturus, possum ratione lucri cessantis aliquid a te licite exigere citra sortem.

34 Debent tamen ad hoc aliquæ conditiones concurrere, quarum prima est, quod lucrum quod cessat, vel sit in actu, quo traditur mutuum, vel in potentia proxima: nam non dicitur cessare quidquid potest acquiri, sed quod de facto erat acquirendum. Abb. in cap. consulut de usuris.

35 Secunda conditio est, quod lucrum vere cesset ex causa mutui dati; hinc si quis nullam haberet voluntatem negotiandi pecunia mutuata, cum ob ejus mutuationem nullum lucrum amiserit, nihil de lucro cessante pacisci poterit. Navarr. in sum. cap. 17. num 212.

36 Tertia est, quod si statuatur pretium lucri cessantis a mutuatario solvendum, debeat hujusmodi pretio æstimari, non id quod vere esset lucrum in re, sed tantum id quod est in spe: cum enim lucrum in spe non sit certum, minus valet quam lucrum re ipsa sequutum. Ita Sot. lib. 6. de Just. & Jur. qu. 1. art. 3. in fin.

37 Quarta est, ne statim tempore mutuationis lucrum exigatur, quod idem dic de damno emergente: si enim mutuas 100. & pacisceris restitutionem 20. statim faciendam, jam non mutuas nisi 80. & tantum accipis pro 80. quantum acciperes pro 100. quod secum fert manifestam fraudem, & usuram. Less. lib. 2. cap. 20. dub. 11. num. 99.

38 Potest etiam exigi ex mutuo aliquid ultra sortem si interveniat periculum prudens amittendi sortem, vel si vendita re, prudenter timeatur amissio pretii ab emptore solvendi; potest enim res tunc carius vendi, ac alias vendita fuisset. Ratio primæ partis est, quia exponere se periculo amittendæ sortis in gratiam mutuatarii est pretio æstimabile. Ratio secundæ partis est, quia periculum amittendi pretii rei venditæ, vendi potest. Less. loc. cit. dub. 13. nu. 111. & cap. 21. dub. 6.

Diximus agentes de mutuo periculum sortis mutuatæ, & casum fortuitum spectare ad mutuatarium uti dominum; si ergo per pactum expressum mutuans suscipiat in se tale periculum, potest aliquid ultra sortem exigere citra usuræ labem ob contractum assecurationis, quæ est pretio æstimabilis juxta receptissimam DD. sententiam. 39

Certum tamen est apud DD. quod si obliges mutuatarium ex vi mutui ad celebrandum tecum hujusmodi contractum assecurationis, regulariter usuram committas, quia hæc obligatio est nova obligatio pretio æstimabilis, ad quam ex vi mutui ipsius, mutuatarius non adstringitur. 40

Deveniendo jam ad pœnas usurarii. 41

Dico primo, usurarium manifestum incurrere infamiam. Can. infames §. porro 3. quæst. 7. Usurarius autem manifestus ille est, qui vel palam omnibus videntibus fœneratur, vel domi recluſus paratus est illuc accedentibus fœnerari, dummodo tamen id publice constet juxta Menoch. de arbitr. casu 235. num. 8. 42

Debuit tamen non semel, vel iterum, sed frequenter crimen hoc exercuisse ille, qui censendus est usurarius manifestus juxta Menoch. ibid. a num. 6. 43

Clericus hujus criminis reus suspendendus est ab officio, & beneficio c. præterea de usuris, & repellendus insuper ab officio, & beneficio obtinendo. Cap. inter dilectos de Excess. prælat. quod si contumax fuerit, privandus erit beneficiis obtentis, ac deponendus in perpetuum. 44

Laici autem usurarii excommunicantur in cap. præterea de usuris, quousque fœnora male acquisita restituant. 45

Ita pariter excommunicantur ipso facto qui usurarios manifestos auserint 46

rint tradere Ecclesiasticæ sepulturæ, nisi de facto usuras restituerint, vel de illrs restituendis ab ipsis, aut hæredibus eorum præstita fuerit cautio idonea. Text. est in Clem. prima de sepult. Imo nisi plene satisfecerint, vel cautionem præstiterint, nequeunt hujusmodi usurarii in foro pœnitentiali absolutionem obtinere, vel ad confessionem admitti.

47 Quod si aliquis usurarius manifestus decesserit nulla satisfactione, vel cautione præstita, ejus testamentum irritum est, & nullum juxta text. in cap. quamquam de usuris in sexto, & hæc annullatio militat, non solum in testamentis, sed etiam in codicillis, & qualibet ultima voluntate, alias dicta Decretalis facile posset eludi juxxa Gloss. ult. in cit. cap. quamquam.

Cave tamen ne censeas usurarium non manifestum nullis subdi pœnis: nam Judicis arbitrio relinquitur illum extraordinariis pœnis afficere. Videte Menoch. de arbitr. casu 298. num. 35. 48

TITULUS VI.

De Crimine Ludi.

1 NOn omnes ludi prohibiti sunt, ideo non quivis ludus est crimen.

2 Primo enim prohibiti non sunt ludi, qui fiunt ad agilitatem corporis exercendam, puta jaciendo palum, luctando, currendo ad metam, agendo torneamenta &c. Sicuti pariter ludi, in quibus dominatur ingenium, vetiti non sunt, ut essent ludi Scacchorum, vel tabularum, in quibus tamen non adhibeantur taxilli. Clar. lib. 5. sent. §. ludus num. 3. 4.

3 E contra vero prohibiti sunt omnes illi ludi, in quibus vel sola sors versatur, vel ea mixta cum ingenio, ut ludi alearum, taxillorum &c. cap. Clerici officia de vit. & hon. Cler. & L. alearum usus C. de Religiosis, & sumptibus funerum.

Sed cum in hac materia contrarius, 4
vel usus sit interim vel abusus, pene integras Juris prohibitiones abrogaverit, ab hoc crimine me expedio solum addendo, quod ludentes ludis prohibitis puniendi sint extra ordinem Judicis arbitrio, juxta facti, & personarum qualitatem teste Clar. loco citato num. 5.

TITULUS VII.

De Adulterio.

1 ADulterium nihil aliud est, quam ad alterius Thorum accessio, cum revera definiatur *alieni Thori violatio*.

2 Tripliciter potest committi adulterium.

3 Primo, si vir conjugatus cognoscat carnaliter mulierem solutam. Secundo si vir solutus cognoscat carnaliter mulierem nuptam. Tertio cum vir conjugatus cognoscit carnaliter fœminam nuptam, quod adulterium dicitur duplex, cum uterque ipsorum non violet solummodo Thorum proprium, quin etiam alienum.

4 Et quovis ex his modis vir & fœmina se carnaliter cognoscant dicitur de Jure Canonico commissum adulterium. Canon. nemo 32. quæst. 4. de Jure autem Civili puniuntur adulterium 2. & 3. non autem primo ex relatis modis perpetratum, quando scilicet conjugatus coit cum soluta, cum ex eodem Jure in tali casu ex neutrius parte sit adulterium. Vid. Caccialup. in repetit. L. si qua illustris num. 58. Cod. ad S. C. Orficianum.

5 Committitur autem adulterium esto matrimonium inter conjuges non fuerit consummatum, dummodo fuerit ratum; quod secus est si sint celebrata tantum sponsalia per verba de futuro, teste Clar. lib. 5. sent. §. adulterium num. 8.

6 Committitur pariter adulterium a viro, & uxore, qui putative sint tales, eo quia matrimonium nullum sit ob aliquod impedimentum dirimens juxta Bart. in L. si uxor §. sed si ea ff. ad L. Jul. de adult. Limitant autem DD. non procedere, si nullum sit matrimonium ob defectum consensus, utpote per metum, vim, vel errorem contractum. Vid. Gomez in L. 80. Tauri num. 28. vers. quam tamen Legem.

Crimen hoc utpote gravissimum duplici mulctatur pœna, & criminali, & civili. 7

Pœna criminalis, qua de Jure Divino in Lege Mosaica puniebatur adulterium, erat lapidatio usque ad internecionem æque maris, ac fœminæ, ut patet ex cap. 22. Deuter. 8

De Jure autem Canonico pro adulterio Laicus masculus æque ac fœmina excommunicantur. Cap. intelleximus de adulter. & ulterius fœminæ adulteræ, si illarum mariti eas recipere renuant, detrudi jubentur in Monasterium ad peragendam ibi perpetuo patrati sceleris pœnitentiam ex cap. gaudemus de convers. conjugatorum; Quod si Clericus id criminis sit ausus committere, deponendus est, & ulterius toto vitæ suæ tempore in Monasterium detrudendus, ut ait Clar. lib. 5. sentent. §. adulterium nu. 7. 9

De Jure autem Civili adulterii pœna est gladii juxta Text. in L. quamvis Cod. ad L. Juliam de adulteriis. Hæc tamen pœna de Jure Civili viget solummodo in viro adultero, nam de Jure novissimo Authenticorum moderata fuit respectu mulieris adulteræ, aliquam indulgendo veniam sexus fragilitati, ac jubendo illam virgis cædi, deinde in Monasterium detrudi: & si intra biennium maritus eam ad se non revocet, ipsa cogitur habitum monachalem suscipere, ibique perpetuo manere. Text. in Auchent. sed hodie Cod. Tit. mox laudato. 10

Pœnam hujus criminis nunc ex praxi arbitrariam esse testatur Farinaccius de delictis carnis quæst. 141. nu. 27. nempe extendendo illam quoad viros ad exilium usque, aut mulctam pecuniariam, quoad fœminas vero usque ad fustigationem, exilium, vel detrusionem in Monasterium. 11

12 Et esto videatur ex Bulla Sixti V. la 46. quæ incipit *ad compescendam*, imponi adulteris pœnam ultimi supplicii; tamen censet Farinacc. ubi supra num. 28. illam non habere locum nisi in adulterio publico, & facto post Thori separationem, & cum conditionibus requisitis in dicta Bulla, quæ utpote pœnalis stricte est interpretanda; adeoque testatur citatus Doctor numquam se vidisse in Urbe infligi pro adulterio pœnam mortis.

13 Quare esto eadem pœna mortis videatur adulteris statuta in Edicto quod edidit Innoc. XI. de anno 1682. tamen cum vigore illius Edicti præcise approbet, ac renovet dictam Bullam Sixti V. quam de verbo ad verbum vernaculo reddit idiomate, ideo fortasse non abs re dici poterit dictum Edictum habere locum in casibus contentis in Bulla Sixti, & in quibus illa pariter obtinebit.

14 Accedendo jam ad pœnas Civiles hujus delicti, dico primo, pœnam esse, quod propter adulterium possit agi inter conjuges ad separationem Thori, & cohabitationis cap. ex literis de Divortiis.

15 Secunda pœna est, quod si separetur matrimonium ob adulterium commissum a viro, teneatur ipse uxori suæ dotem restituere etiam durante matrimonio, & insuper amittat donationem propter nuptias fortasse uxori factam. Gloss. prima in cap. 1. ut lite non contestata &c.

Quod si separetur matrimonium propter adulterium commissum ab uxore, ipsa amittit dotem, quam repetere amplius non valet, cap. plerumque de Donat. inter virum, & uxorem, & L. cum mulier ff. sol. matr. 16

An autem amittat insuper bona paraphernalia, ea scilicet quæ præter dotem secum attulit, & marito custodienda dedit, & administranda, dicendum est quod ea non amittat, cum de hoc expressa in Jure dispositio non habeatur, & in materia pœnali stricta interpretatio facienda sit. Ita Abb. in dicto cap. plerumque numer. 8. pluresque DD. cum illo. 17

Advertendum tamen non deberi pœnas Civiles a conjuge adultero, quando alter quoque conjux adulter est, quia mutua delicta compensantur: cap. fin. de adulteriis, L. Viro atque uxore ff. sol. matr. 18 19

Dico *quoad pœnas Civiles*, nam pœnæ criminales mutuo conjugum adulterio non auferuntur, teste Sanchez de matr. lib. 10. disp. 8. num. 36.

Advertendum ultimo, quod si vir sciens uxorem esse adulteram, se cum illa carnaliter misceat, videatur ita agendo illius mores approbasse, & consequenter adulterium remisisse. Ita Clar. lib. 5. sententiarum §. adulterium num. 18. 20

TITULUS VIII.

De Incestu.

1 INcestus est coitus naturalis habitus inter consanguineos cujuscumque generis, & affines, vel sint interim affines affinitate naturali, vel legali, vel spirituali, vel orta ex copula licita, vel illicita, dummodo tamen hujusmodi consanguinei, vel affines ita se carnaliter cognoscentes sint tales, ut inter ipsos ob impedimentum affinitatis, vel consanguinitatis nequeat validum celebrari matrimonium juxta ea, quæ diximus sub Tit. de nuptiis in prima parte Inst. Civilium, & sub Titulo de

impedim. matrim. in 2. parte Instit. Canonicarum.

2 Si incestus commissus fuerit inter ascendentes, & descendentes, puniendus est pœna mortis: hic enim coitus non vocatur in Jure incestuosus tantum, sed etiam nefarius. Boer. dec. 318. Et in Urbe vigore statuti lib. 2. cap. 50. si cum adulterio commissus fuerit incestus cum muliere attinente usque ad quartum gradum inclusive, de Jure Can. computandum, mors est a reis subeunda; Incestus autem simplex absque adulterio vigore ejusdem statuti puniendus est etiam pœna mortis, si tamen fuerit perpetratus cum attinente usque ad secundum gradum inclusive, facta pariter computatione Juris Canonici.

3 Cæterum præter hos casus, pro mero Incestu pœna arbitraria imponi debet, quæ tamen pro criminis modo, & circumstantiis id aggravantibus usque ad mortem potest extendi. Farinacc. de del. carnis q. 149. n. 21.

4 Quod si maritus cognoscat carnaliter, & scienter consanguineam uxoris suæ, duplicem incurrit pœnam: primam scilicet quod nequeat amplius debitum exigere ab uxore: irrogavit enim injuriam matrimonio: cum per hujusmodi fornicationem evaserit affinis uxoris suæ, & insuper non potest ea mortua cum quavis alia matrimonium contrahere, ut sic puniatur in quo deliquit. Text. in cap. 1. de eo qui cognovit consangunieam uxoris suæ: Verum tamen est, quod si uxore mortua contrahat vir matrimonium cum alia fœmina, contrahat quidem illud valide, sed illicite, adeoque incestus est impedimentum matrimonii mere impediens, non etiam dirimens. Ita Sanchez de matr. lib. 7. disp. 15. num. 1.

Ea quæ diximus in viro incestuoso, reperas etiam in uxore incestum committente cum consanguineis viri juxta Text. in Can. si quis viduam 32. quæst. 7. & Can. si quis cum matre 35. quæst. 2. 5

Limita primo in fœmina violenter cognita cap. discretionem de eo qui cognovit consanguineam &c. 6

Secundo, si copula non fuerit consummata intra vas legitimum, quia tamquam pœnalis materia est stricte interpretanda. Lancellot in Instit. Can. lib. 2. tit. de triplici cogn. §. si quis autem, 7

Advertite has pœnas militare contra rem habentes cum consanguineis conjugis etiam defuncti: cap. transmissæ de eo qui cognovit &c. 8

Adverte ulterius ex eodem textu colligi, conjugem incestuosum, licet debitum petere non possit, teneri tamen ad debitum reddendum si de hoc requiratur ab altero, qui ob culpam unius Jure suo non est privandus. 9

Advertendum tertio, ultra conjugem delinquentem neque consanguineos alterius conjugis posse post ejus obitum licitum matrimonium cum quovis alio inire, cum & ipsi per adulterium gravem matrimonio injuriam intulerint. Sanch. lib. 7. disput. 18. num. 3. 10

TITULUS IX.

De Concubinatu, & Simplici Fornication

1 CConcubinarii stricte accepti ii sunt, qui mulierem retinent, eamque carnaliter cognoscunt eodem affectu, & modo, ac si sua esset uxor.

2 Requiritur autem ad constituendum hoc crimen distinctum ab aliis: Primo, quod carnalis commixtio sit diutina, non semel tantum habita. Farinacc. de del. carnis quæstion. 138. num. 9.

3 Secundo, utrumque, virum scilicet & fœminam, solutos esse, ita ut quolibet impedimento cessante possit inter ipsos contrahi matrimonium. Farin. ibid. num. 13.

4 Tertio, quod coeant intuitu etjam prolis acquirendæ. Farin. ibid. num. 17.

5 Quarto, quod sit coitus unius cum una. Farinac. num. 21. ubi supra.

6 Quarto, quod habeant quamdam vitæ consuetudinem tamquam viri cum uxore.

7 Circa pœnam testatur Clar. lib. 5. sent. §. fin. quæst. 37. num. 4. quod parum in hoc delicto Judices se intromittant: certum tamen est de Jure Can. puniendos esse Laicos concubinarios arbitrio Judicis. Vide Clarum dicto lib. 5. §. fornicatio num. 6. Imo Conc. Trid. sess. 4. cap. 8. jubet concubinarios soluros æque ac uxoratos, si ter moniti ab Ordinario concubinas non dimiserint, esse excommunicandos, nec absolvendos donec paruerint, & sess. 25. cap. 14. de Refor. statuit, Clericos post secundam monitionem non parentes, perpetuo quibusvis Beneficiis, Officiis, Pensionibus, & portionibus Ecclesiasticis privandos esse, & inhabiles reddi ad quævis alia obtinenda. Tridentin. loc. citat. cap. 14.

8 Affinis concubinatui est simplex fornicatio, coitus nempe soluti cum soluta, & inhonesta. Vide Menoch. de arbitr. casu 289. num. 6. in additionibus.

9 De Jure Civili coitus hic non punitur, imo neque si sit conjugati cum soluta, ut supra diximus, quare testatur Farinac. de delicto carn. quæst. 137. numer. 37. se numquam vidisse Laicum aliquem punitum pro simplici fornicatione commissa: Et si nunc puniuntur Laici fornicarii, hoc fit, si fornicentur tempore prohibitionis, quod vacatio meretricum vocatur, & sola pœna carceribus, quæ pecunia cito redimitur. Et in Clericum fornicatorem arbitraria pœna a Judice est jaculanda, attentis facti circumstantiis, & Patriæ consuetudine. Abb. in cap. ut si Clerici de Jud. num. 31. & seq. qui tamen Judex debet in hoc delicto semper mitiorem pœnam eligere: videte Farinac. loc. citat. num. 17. 18.

TITULUS X.

De Sacrilegio Carnali.

1 CRimen hoc committitur, si habeatur coitus inter personas, quarum una, vel utraque sit voto Castitatis emisso adstricta, vel in susceptione Ordinis sacri, vel Professione Religionis.

2 Quare mas cujuslibet generis cum Moniali professa, vel quævis fœmina cum Regulari professo, vel Presbytero sæculari, Diacono, aut Subdiacono sacrilegium committent, si simul commisceantur. Filliuc. tract. 30. cap. 7. quæst. 3. 122. 182.

3 Cognoscens carnaliter Monialem, pœna mortis est plectendus, ipsaque arcte in aliud monasterium detrudenda §. fin. Auth. de Sanctis. Episc. collat. 9. Can. si quis rapuerit 27. quæst. prima, quæ mitiori pœna punitur, quia majori culpa laborat ille, qui intra septa Monasterii custoditam sacrilego ausu violare tentavit. Farinacc. de delicto carnis quæstion. 146. num. 13.

Advertendum tamen, eum pœnam 4
mortis subire, qui vere Monialem carnaliter cognoverit; nam si eam præcise fuerit osculatus, extraordinaria pœna est affligendus arbitrio Judicis juxta Decian. in Tract. Crimin. lib. 6. cap. 20. num. 16.

Cæterum sacrilegium, commissum 5
aliter quam cum Moniali, punitur pœna Judici arbitraria.

TITULUS XI.

De Stupro.

1 STuprum est *Virginis illicita defloratio*. Diaz. in pract. Crim. Canonica cap. 83. v. Stupri num. 1.

2 Si igitur Virgo per vim stuproque violento fuerit defloratа, pœna hujus delicti est mortis naturalis juxta stat. Urbis lib. 2. cap. 51. & Farin. l. cit. num. 22. ubi n. 31. declarat quod, ut stuprum violentum dici queat, debuerit vis illata fuisse personæ ipsi, nam si quis vi fregisset ostium Domus, atque ita ingressus, stuprum commisisset, non ideo diceretur violentus stuprator; cum enim crimen violentiæ sit personale, necesse est personæ vim fuisse irrogatam.

3 Quod si stuprum absque vi factum fuerit, debet stuprator puellam, vel in uxorem ducere, eamque dotare, vel dotare si ducere nolit, & ultra dotem aliquam adhuc aliam pœnam subibit, verb. gr. exilii, pecuniariam, aut similem arbitrio Judicis. Text. in cap. 2. de adult. & stupro, & Farinacc. ubi supra a numer. 97. usque ad 104. inclusive.

Si vero stuprator sit sacris insignitus Ordinibus, vel conjugatus, cum 4
ducere stupratam nequeat, eam dotare tenebitur, & alia pœna arbitrio Judicis insuper affligendus. Bajard. ad Clar. §. stuprum num. 10. versic. *Adde quod si*.

Dotari pariter debet ea quæ vel ip- 5
sa renuit, vel cui pater prohibet cum stupratore conjungi. Text. in cap. 1. de adult. & stupro; ibique Gloss. v. *dotabit eam*.

Dos vero constitui debet juxta con- 6
suetudinem in puellis similis conditionis, habita etiam consideratione illius pluris, quod necesse est dari viro, cui stuprata nubet in æstimationem

nem amissæ virginitatis, vel interim puella, & ejus parentes divitiis affluant, vel egestate torqueantur. Farin. loc. cit. a num. 124. ad 129. inclusive.

7 Advertendum tamen, quod si ipsa mulier, nulla stupratoris persuasione præcedente, illum ad concubitum, & stuprum attraxerit, nihil illi stuprans præstare teneatur, cum ipsa virum provocaverit. Ita Guttierez quæst. Canon. c. 37. nu. 22. & seq.

TITULUS XII.

De Sodomia, & Bestialitate.

1 NEfandum, horrendumque Sodomiæ crimen a Sodomitis, ultore igne de Cœlo consumptis nomen suum æque debet, ac pœnam ex Gen. cap. 9.

2 Committitur autem, primo si mas cognoscat marem præposteră Venere.

3 Secundo, si fœmina aliam fœminam cognoscat agendo aliquo instrumento materiali, puta ligneo, vitreo in vas naturale, vel præposterum ejusdem fœminæ patientis. Ita Sanch. de matrim. lib. 10. disput. 5. num. 5.

4 Tertio, si mas fœminam præposterе cognoscat, quo casu de rigore Juris meo Judicio hoc crimen committitur: oppositum tamen sentit Farin. de del. carnis quæst. 148. num. 37. & seq. qui asserit in hujusmodi etiam concubitu intrare pœnam sodomiæ, & plures se vidisse viros & fœminas hac de causa furca suspensos, quare tali praxi stante, non censerem ab ea fore recedendum.

5 Hoc extende ad virum, uxorem suam hoc modo cognoscentem. Text. in Can. adulterii 32. qu. 7.

6 Pœna hujus criminis est ultimum supplicium, cui jam donatus sodomita, postea est igne comburendus. L. cum vir nubit C. ad L. Jul. de adult. Farin. loc. cit. a num. 4. ad 8.

7 Quod si Clerici Regulares æque ac sæculares id criminis patrare auserint, vigore Bullæ S. Pii V. degradati, curiæ sæculari tradendi sunt, ut ab ipsa capitali supplicio puniantur: quam pœnam incurrent, etiamsi unica vice in hoc scelus inciderint; quamvis enim S. Pius V. in sua Bulla adhibeat verbum *exercere*, adeoque ad subeundam pœnam videatur requirere actuum frequentiam, tamen Farinacc. loc. citat. num. 30. testatur juxta praxim pœnam mortis subire debere Clericum, qui semel tantum hoc delictum nefandum patraverit.

Alia pœna est infamia, quam ipso 8
Jure incurrunt. Text. in dicta L. cum vir C. ad L. Jul. de adult. ibique Gl. v. *Infames*.

Tantaque est hujus sceleris gravi- 9
tas, ut sodomia quoquo modo ab altero ex conjugibus commissa sit causa sufficiens petendi divortii, cum Reus conjux dividat carnem suam cum alia persona, in quo stat fundamentum divortii, non servat enim præceptum Christi jubentis quod sint duo in carne una. Sanchez lib. 1. de matrim. disp. 5. num. 4.

Adverte tamen quod pœnæ allatæ 10
habeant locum in actu tantum completo, plene scilicet crimine commisso; si deventum namque fuerit solum ad actum proximum, tunc habet locum pœna non ordinaria, sed extraordinaria, ideoque mitior. L. prima in fin. ff. de extraord. Crim. & Clar. ubi supra num. 8.

Qui per vim Sodomiam passus est, 11
ab omni pœna est immunis text. in L. sœdissimam, ibique Gloss. v. *sœdissimam* C. ad L. Jul. de adult. cum alias pœna mortis & ignis mulctandi sint æque patiens, & agens. Clar. l. cit. num. 4.

Proxi-

12 Proxima sodomiæ est *bestialitas*, delictum quod committitur in coitu cum animali bruto, & cujus pœna pariter est mors, & ignis, quo comburendi sunt rei insimul cum animali, cum quo crimen patrarunt. Can. mulier 17. quæstion. 1.

TITULUS XIII.

De Raptu.

1 RApina in res cadit, in personas autem raptus, qui definitur *traductio violenta de loco ad locum mulieris honestæ causa libidinis exercendæ*.

2 Prima igitur conditio requisita ad constituendum raptum est violentia, imo sufficit metum illius intervenisse: v. g. si puella inspiciat ad se venientes homines armatos pro ea violanda. Decianus Tract. Crim. lib. 8. cap. 7. num. 6.

3 Rursus ad violentiam perpetrandam satis est quod *dissentiant* puellæ parentes, Tutores, maritus, imo & fratres, esto mulier consentiat; nequit enim ipsa consensu suo remittere injuriam personis dictis irrogatam. Ita Decian. loc. cit. num. 21.

4 Verum tamen est, quod ita rapiens non subjacebit pœnæ, quam dicemus esse ordinariam raptus, sed tantum extraordinariæ, & mitiori, minuente delictum fœminæ assensu juxta Decian. ibid. quare mulier sub nullius potestate manens, si consentiens abducatur, raptus non committitur. Tum quia scienti, & volenti non fit injuria, L. 188. ff. de Reg. Juris, tum quia verbum *rapere* importat cum vi, & impetu auferre. L. 3. vers. *non solum* ff. de incendio ruina &c.

5 Hic autem nota, quod esto raptus proprius non constituatur in fœmina importunis precibus tantum mota ad consentiendum, attamen patretur hoc crimen, si preces a tali persona porrigantur, cui ob reverentiam maximam nequeat puella contradicere. Sanchez loc. cit. n. 10.

6 Secunda conditio requisita ad raptum est traductio raptæ de loco ad locum, adeoque si absque traductione violenter fœmina cognoscatur, erit copula vi extorta, non raptus, ut supra diximus, quæ tamen violenta copula punibilis est etiam morte, ut ait Clar. lib. 5. sentent. §. raptus n. 1.

Nec sufficit quævis traductio, sed 7
debet esse facta ad effectum abducendi v. g. in aliam domum, vel locum distantem; nam si fiat gratia commoditatis ad coitum, non erit raptus. Videte Clar. l. c.

Tertia essentialis conditio est, quod 8
traductio facta fuerit causa libidinis exercendæ, non alia quacumque. Clar. ubi supra §. raptus in initio.

Hinc quæstio oritur an ad pœnam 9
ordinariam raptus subeundam requiratur copula subsequuta.

In qua distinguendum est; vel 10
enim raptor pœnitentia ductus, & nolens quamvis posset, a copula se abstinuit, & extraordinariæ pœnæ locum habebunt; Vel copulam non perfecit, quia non potuit, & ordinarias pœnas subibit. Clar. l. c. n. 4.

Quæ tamen conclusio, & distinctio non militat in raptore monialis, qui pœnam ordinariam subibit, ex quacumque interim causa copula non fuerit subsequuta. Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 12. num. 18. in fin.

Ultima conditio est, quod rapta sit 11
honesta, vel interim sit vidua, virgo, nupta, soluta, monialis &c. L. unic. C. de raptu Virginum ibique Glos. v. *Virginum*.

Ex quo infertur, raptorem mere- 12
tricis non subdi nisi pœnis extraordinariis

nariis raptus. L. un. ubi supra ibique DD. communiter.

14 Quæ assertio non militat primo si meretrix, pœnitentia mota, honestam vitam agere jam incepisset. Decian. Tract. Crim. lib. 8. cap. 7. n. 9.

15 Secundo, si meretrix rapta esset nupta, cum irrogetur injuria ejus marito ab eo qui rapuit. Decian. loc. cit. n. 14.

16 Jam sciendum, quod si raptorem inter, & raptam intercessisset ante raptum tractatus de matrimonio ineundo, & conclusus fuisset, non esset ordinariis raptus pœnis puniendus raptor, qui sponsam consentientem rapuisset etiam reclamantibus parentibus, cum ex tempore celebrati tractatus de matrimonio faciendo habeat raptor aliquale Jus in raptam. Text. est in cap. penultimo de raptor.

17 Pœna autem, qua raptores honestarum mulierum, & maxime Deo dicatarum mulctandi sunt, est ultimum supplicium, qua pœna puniendi sunt etiam ipsis præstantes auxilium: dicta L. un. C. de raptu Virginum.

Secundo, bona omnia rapientium, 18
auxilium ad raptum præstantium, & eorum, qui comites in itinere fuerunt, mulieri raptæ acquiruntur: dicta L. unica; cæteri autem, qui conscij quidem aut ministri criminis fuerunt, si raptori comites in itinere non fuere, nec ipsis auxilium præstitere, morte tantum puniuntur, non etiam amissione bonorum: dicta L. un.

Si rapta vero sit Monialis, morte 19
punitur raptor, & bona ejus, & sociorum criminis Monasterio applicantur, a quo Monialis rapta fuit. Can. si quis rapuerit 27. qu. 1.

Ulterius de Jure Canonico Laici 20
raptores, eorumque fautores excommunicatione feriuntur, ferendæ sententiæ. Can. de puellis, & duobus seq. 36. quæst. 2.

Quod si Clerici sint, ab ordine 21
Clericali sunt deponendi: dicto Can. de puellis.

TITULUS XIV.

De Reliquis delictis Carnis.

1 PRæter delicta carnis hucusque recensita, sunt alii coitus pariter de Jure punibiles.

2 Primus horum est coitus cum puella nondum viripotente, quo casu vel adfuit tantum conatus, sed non vera defloratio, & punitur pœna gravi, sed citra mortem, ut puta Triremium perpetuo, vel per decennium; si autem pudenda confracta fuere, pœna est ultimi supplicii. Clar. lib. 5. sent. §. stuprum in fin.

3 Secundo, si feudatarius cojerit cum uxore, vel sorore Domini directi, vel cum ejus filia, aut nepte ex filio, aut ejus filii uxore, feudum amittit. Cap. 1. §. 1. quibus modis Feudum amittatur. In usibus Feudorum.

4 Tertio, Tutor vel Curator cojens cum pupilla, vel minore, pœna deportationis, & confiscationis omnium bonorum coercetur. L. unic. C. si quis eam, cujus Tutor &c.

Quarto, coitus custodis carceris cum 5
carcerata etiam meretrice graviter punitur, & e contra carceratus, qui cognoscit uxorem, vel ancillam custodis carceris, puniendus pariter est Judicis arbitrio. Menoch. de arbitr. casu 292. in fin.

Cojens etiam cum mortua graviter 6
est puniendus, utpote cadaverum contrectator. Clar. lib. 5. sent. §. fornicatio num. 28.

Sexto, si mulieres inter se actum 7
venereum exerceant, non utentes tamen ullo Instrumento artefacto, sed simpliciter se fricantes, & corrumpentes,

tes, puniri debent; ſed citra mortem, teſte Clar. loc. cit. num. 29.

8 Septimo, coitus Judæi, Saraceni, Turcæ, alteriuſque Infidelis cum Chriſtiana & meretrice, vel Chriſtiani cum Judea, aliaque Infideli, puniendus eſt arbitrio Judicis juxta qualitatem facti, & perſonarum. Farin. de del. carn. qu. 139. per tot. qui a n. 19. uſque ad 25. incluſive ſubdit, quod ſi Judæus, vel aliquis ex relatis Infidelibus, non præciſe cum Chriſtiana fornicaretur, ſed inſuper committeret adulterium, raptum, inceſtum, vel ſtuprum, tunc deberet puniri pœna mortis, eo quia qualitas Infidelitatis delictum aggravet, & augeat illorum pœnam, niſi tamen Judæus, vel Infidelis uxoratus cognoſceret Chriſtianam ſolutam; cum enim adulterium hujuſmodi ex dictis in Foro exteriori non puniatur, eſto puniretur in Judæo, vel Infideli, puniretur tamen pœna extraordinaria, non ultimi ſupplicii.

9 Non evitabit tamen mortis pœnam Judæus, qui Chriſtianam duxit, vel e contra, ſcientes tamen diverſitatem Religionis; ſecus tamen ſi id ignoraverint, dummodo ignorantia non ſit craſſa, & ſupina. Conſulite Farin. loc. cit. a n. 36. ad ultimum.

10 Punibilis eſt etiam vir ſcienter habens actu plures uxores, & e contra mulier plures ſcienter habens actu maritos, & incidunt in pœnam extraordinariam Judicis arbitrio juxta facti, & perſonarum qualitatem: Imo contra hujuſmodi reos poteſt procedere Tribunal Sanctiſſimæ Inquiſitionis utpote de hæreſi ſuſpectos, inquirendo quid ſentiant de Sacramento matrimonii Farin. de del. Carnis q. 140. parte 1. per tot.

Crimen carnis eſt etiam oſculum: 11
ſi quis ergo libidinis cauſa oſculetur mulierem vel nuptam, vel viduam, imo etiam adoleſcentem, punitur pœna Judicis arbitraria juxta facti circumſtantias, Farin. loc. cit. qu. 142. n. 154. qui n. 163. addit ſi vi oſculum datum fuerit, pœnam oſculantis debere eſſe corporalem, & Triremium.

Ultimum ſit Lenocinii crimen ab 12
alliciendo dictum, & quia fallaciis, & blanditiis ad carnalia crimina mulieres, & adoleſcentes alliciant.

Lenonum, & Lenarum pœna de 13
Jure communi eſt ultimum ſupplicium, Auth. de lenonibus verſ. *præconizamus* collat. 3. juxta tamen praxim eſt arbitraria, & extenditur etiam ad accommodantes domum, vel locum ſuum ipſo adulterio, vel ſtupro in illa patrando cum fœmina quavis, vel adoleſcente, aut pro habendo tractatu de illorum commiſſione, dummodo tamen poſtea crimen fuerit ſequutum: Imo ſi parentes filiarum, vel uxorum mariti lenones fuerint, poteſt arbitrium Judicis extendi in illos uſque ad pœnam ultimi ſupplicii, puta ſi maritus in uxore proſtituenda quæſtum feciſſet, cum facultate tamen minuendi gravem hanc pœnam ex cauſa rationabili: circa hoc crimen extant etiam Bulla Sixti V. 46. incipiens ad compeſcendam, & Bulla Pauli IV. in ord. 18. incipiens *Sanctiſſimus*. Et late differit Farinac. omnino conſulendus de delictis carnis qu. 144. per tot.

Quæ quidem ob temporis anguſtias 14
ad aliquam explicatorum criminum notionem ad Dei gloriam, veſtramque ſtudioſiſſimi adoleſcentes utilitatem hactenus dixiſſe ſufficiat.

F I N I S.

I N-

INDEX RERUM.

A

Abortus.

QUid, & qua pœna plectatur? pag. 56. num. 48. & ſeqq. vide Fœtus.

Infligitur Pœna excommunicationis procuranti abortum, a Sixto V. ibid. uum. 51. & 53.

Sixti Conſtitutio a Gregorio XIV. moderata. ibid. num. 52.

Explicantur aliquot Propoſitiones a SS. Pontificibus damnatæ ſuper abortu. pag. 56. & 57.

Adulterium.

Quid. pag. 112. num. 1.

Eſt copula conjugati cum ſoluta, ſoluti cum nupta, & conjugati cum nupta. num. 3.

Omnes hæ copulæ Jure canonico puniuntur; at ſola 2. & 3. Jure civili. num. 4.

Committitur, etiam matrimonio non conſummato. ibid. num. 5. quinimmo etiam putativo. ibid. n. 6.

Punitur pœna criminali, & civili; & quomodo punitur Jure Moſaico, Canonico, & Civili, & juxta praxim. p. 113. a n. 7. ad 20.

Ambitus.

Quid ſit hoc Crimen, & quomodo committatur. pag. 45. nn. 1. & 2.

Annona fraudata.

Vide Fraudata annona.

Quid ſit annona. pag. 48. num. 1.

Apoſtaſia.

Quid ſit. pag. 16. num. 26.

In quo differat a Paganiſmo. ibid. num. 27.

Apoſtata.

Græce ſonat idem, ac deſertor. pag. 16. num. 25.

In quo differat a Gentili, ſeu Pagano. ibid. num. 27.

Duplex eſt Apoſtata. Alter eſt perfidiæ, qui fidem abnegat. ibid. num. 28. Alter irregularitatis, qui ab Ordine aliquo, vel a Religione recedit. ibid. num. 29.

Apoſtatæ perfidiæ puniuntur eodem modo ac Hæretici. ibid. num. 30.

Ut apoſtata dicatur quis, ſufficit ſi fidem abneget. pag. 16. num. 31. etiamſi non fuerit a nativitate Chriſtianus. pag. 17. num. 32.

Etiamſi non rite quis baptizatus recedat a Fide, puniendus ut apoſtata. ibid. num. 33.

In his ſervanda externa. ibid. & numer. 34.

Apoſtatæ Irregularitatis.

Sunt qui ab Ordine apoſtatant. pag. 17. num. 35. & 36.

Etiam in Minoribus conſtituti, ſi ſint Beneficiati. ibid. num. 37.

Et puniuntur excommunicatione ferendæ ſententiæ. ibid. num. 38.

Item qui a Religione apoſtatant. pag. 18. num. 39. & 40.

Sed tria ad hoc requiruntur. ibid. num. 41. 42. 43.

Cum licentia tranſiens ad laxiorem Religionem non eſt apoſtata. ibid. num. 44. & 45.

Solvuntur circa hoc difficultates. ibid. num. 46. 47. 48. 49.

Arma.

Offenſiva, & defenſiva, prohibita. pag. 73. num. 14.

Conſuetudo in hoc contraria. p. 74. n. 15. Explicatur Bulla Pii V. n. 16.

Quid de arma ligata ferentibus? ibid. n. 17. 18. & 19.

Quid dicendum de Forenſi arma ferenti? num. 20. 21. & 22.

Cum aliqua limitatione arma domi retineri poſſunt. ibid. a num. 23. ad 26.

Arma venenata, gravius punienda. p. 75. num. 27.

Alia circa arma. a num. 28. ad 30.

Etiam mulieribus defenſa. ibid. numer. 31.

Assassinium.
Assassini unde dicti? pag. 58. nu. 59.
Notanda varia sunt circa pœnas assassinii. a num. 60. ad 65.
Mors est pœna assassinii. p. 59. n. 66.
Requisita ad hoc crimen. ibid. a n. 67. ad 71.
Quomodo intelligendus Textus in C. pro humani. p. 60. a n. 72. ad 78.
An modica promissio a mandatario exequuta assassinium faciat. p. 61. num. 79. & 80.
An ad gratificandum amicum, quemdam occidens sit assassinus. ibid. num. 81. & 82.
An ad assassinium requiratur occisio incauti. ibid. n. 83. & 84. Corollaria. ibid. a n. 85. ad 90.
Pœna assassinii. p. 62. a n. 91. & 92.
De assassino minore. ibid. nu. 93. & 94. Clerico. a num. 95. ad 101.

B

Beneficia Ecclesiastica.
Beneficiis privatur Hæreticus. pag. 8. num. 21.
Bestialitas.
Quid sit, & quomodo puniatur. pag. 117. num. 12.
Blasphemia.
Quid? pag. 102. num. 1.
Alia Hæreticalis, alia non. num. 2.
Prima est, si Deo des quod ei non convenit. num. 3.
Si neges, quod ipsi convenit. n. 4.
Si creaturæ tribuas quod Dei solius est. num. 5.
Secunda est, quum Deo vel Sanctis aliquid mali imprecatur. ibid. nu. 6. quum indecore nominantur, nu. 7. & quum perjurium committitur. num. 8.
Quomodo puniatur Jure Communi, & Divino. ibi. num. 9. Quomodo nunc? ibid. num. 10.

C

Coitus.
Cum puella non viripotente qui punitur. pag. 119. num. 2.
Cum mortua, plectendus. ibid. numer. 6.
Inter fœminas, puniendus. ibid. numer. 7.
Judæi, &c. cum Christiana, & e contra, ut sit puniendus. p. 120. nu. 8. & 9.
Concubinarii.
Qui sint? pag. 115. n. 1. an puniantur, & quomodo? ibid. num. 7.
Concubinatus.
Quid requiratur ad hoc crimen. pag. 115. a num. 2. ad 6.
Confiscatio Bonorum.
Confiscationem patiuntur Hæretici. pag. 9. num. 30.
Post sententiam tamen declaratoriam. ibid. num. 31.
An sit confiscanda uxorum dos? pag. 10. num. 37.
Crimen.
Crimen commune quale sit? pag. 101. num. 34.
Ejus cognitio cui spectet? ibid. & n. 35.
Non possunt plures simul Judices cognoscere, sed tantum præveniens. ibid. num. 35. & 36.
Citatione scilicet realiter exequuta, ibid. num. 37. 38. & 39.
An citatus ab uno Judice, ab altero captus, spectet secundo? num. 38. 39. Quid si ab uno citatus, constituat se in alterius carceribus? num. 40.
In dubio an prævenerit judex secularis, vel ecclesiasticus, cognitio spectat secundo. pag. 102. num. 4.
Crimen de Residuis.
Quid sit? pag. 48. num. 14. quomodo committatur. ibid. nu. 15. 17. Quomodo puniatur? ibid. num. 18.
Crimen Falsi.
Vide Falsum.
Curator.
Cojens cum minore ut plectatur. pag. 119. num. 4.
Custos Carceris.
Cojens cum carcerata, puniendus. pag. 119. num. 5.

D

Damnum emergens.
Excusat ab Usura. pag. 109. a n. 24. ad 32. Vide Usura.

Delictum.
Quid sit. pag. 2. num. 1.
De Jure Civili aliud est publicum, & aliud privatum. ibid. n. 1. 2. 3.
Publici Delicti Rei infames Jure Civili. ibid. num. 5.
Etiam Privati Jure Canonum. ib. n. 6.
Aliud capitale, aliud non. p. 3. n. 7.
Aliud nominatum, aliud innominatum. ibid. num. 8.
Aliud leve, aliud atrox. ibid. n. 9.
Aliud mere Ecclesiasticum, aliud mere Sæculare, aliud commune. ib. n. 10.
Ob delicta Parentum, Filii aliquando puniuntur. pag. 9. num. 33.
Quidquid definiverit Jus civili. ibid. num. 34.
Delictum Hæreseos multipliciter punitur. Vide Hæresis. Hæretici. Pœnæ Hæreticorum. Confiscatio. Beneficia Ecclesiastica. Excommunicatio.

E

Ecclesiarum Violatores.
Vide Violatores.
Error.
Qui alium ab errore non revocat, se ipsum errare demonstrat. pag. 6. num. 10. & 11.
Excommunicatio.
Excommunicatio major incurritur ab Hæretico. pag. 7. num. 14.
Quando? ibid. num. 15.
Etiam a legentibus libros Hæreticorum. ibid. num. 16. & 17.
A Schismaticis. pag. 14. num. 9.

F

Falsarius.
Qui literas apostolicas falsificat. pag. 105. nu. 4. licet iis postea non utatur. ibid. num. 5.
Falsificatio.
Quomodo falsificantur literæ apostolicæ. pag. 105. nu. 3. & pag. 106. n. 6. Quomodo dignoscitur. nu. 7.
Falsum.
Quid? pag. 64. nu. 1. Quot conditiones ad hoc crimen requirantur. ibid. num. 2.
Fit consensu: ibidem a nu. 4. ad 13.
2. verbis, idest falsum testificando. p. 65. a n. 14. ad 24.
3. scriptis. p. 66. a n. 25. ad 34.
4. abusu. p. 67. a n. 35. ad 38.
5. aperiendo alienas literas. p. 68. n. 39. &
6. facto. ibi. a n. 40. ad 42.
Falsificatores monetæ, hujus criminis sunt rei. p. 68. a n. 43. ad 73.
Pœnæ in falsarios. per totum titulum
Crimen Falsi in literis apostolicis commissum punitur excommunicatione. p. 106. n. 8. expoliatione beneficiorum &c. n. 9. degradatione &c. n. 9. 10. & 11.
Feudatarius.
Cojens cum Domina directa, amittit feudum. p. 119. n. 3.
Filii Hæreticorum.
Ob Patris Hæresim patiuntur Bonorum Confiscationem. p. 9. n. 30.
Privantur Beneficiis, & Pensionibus Ecclesiasticis. p. 8. n. 21.
Ob Patres puniuntur. p. 9. n. 33.
Non possunt emancipari, &c. p. 11. n. 42.
Fœtus.
Quando sit animatus? p. 56. n. 49.
Fornicatio.
Simplex Fornicatio affinis Concubinatui. quid sit. p. 115. n. 8. de ejus pœna vide n. 9.
Fraudata Annona.
Quid Crimen Fraudatæ Annonæ? p. 48. n. 1. vide monopolium.
Navem annonam deferentem detinens, hujus Criminis est etiam reus. p. 49. n. 9.
Nec non mensuras, & pondera adulterans. ibid.
Et Pistores Panem malum vendentes. p. 50. n. 15.
Et tandem administratores frumentum consumentes. ib. n. 16. Qui tenentur dare Pistori frumentum publicum. ib. n. 17. illudque custodire. ibid. n. 18.
Fures.
Manifesti, & non manifesti. p. 78. n. 13.
Qui possint evitare pœnam. p. 80. a n. 33.
Furtum.
Quid? & a quo nomen habet? p. 77. a n. 2. ad 12. Pœnæ furti. p. 78. a n. 14. ad 22. modicum, vel magnum. p. 79. n. 16.

Civilis; an Criminalis actio ex furto datur? p. 81. n. 42. 43. 44.
Datur ne furtum rei modicæ? ibid, n. 45. 46. 47.
Opem, aut consilium dantes furi, an furti actione teneantur. p. 82. n. 48. ad 52.
Quid de furibus mercenariis, &c. ibid. n. 53. 54. 55.
Tabellarius pecuniam retinens, est fur. p. 83. n. 56. 57.
Quibus Furti actio competat? ibid. a n. 58. ad 62.
Etiam furem non revelans, est reus furti ibid. a n. 63. ad 70.
In extrema necessitate constitutus furans, an sit fur? p. 84. a n. 71. ad 79.
Clerici fures ut puniendi? p. 85. n. 81. 82.
Pœnæ Canonici Juris in Fures. p. 86. a n. 83. ad 100.

H

Hæresis.

IDem, ac Electio. p. 3. n. 1.
Quid sit ibid. n. 2. & seqq.
Ad Hæresim constituendam requiritur pertinacia. p. 4. n. 4. & seqq.
Et Scientia. ibid. n. 9.
Dummodo non affectata. ibid. n. 10.
Ad probandam Hæresim admittuntur Testes alias inhabiles. p. 12. n. 53.
Sed non sufficiunt ad damnandum Hæreseos reum. ibidem.
Etiam perjuri admittuntur; at quando ibid. n. 54.
Admittuntur generaliter omnes. ibid. n. 55.

Hæretici.

De articulo Fidei dubitans est Hæreticus. p. 5. n. 1. & seqq.
Quid de Cathecumeno dubitante? p. 6. n. 6. & 7.
Metu gravi Fidem negans, an sit Hereticus? ibid. n. 8. 9.
Hæreticus vel Schismaticus non potest salvus fieri. ibid. n. 12. 13.
Hæretici vitandi qui sint? p. 7. n. 18. & seqq.
Nec testari, nec Heredes instituere possunt p. 10. n. 40. Post sententiam tamen declaratoriam. ibid. n. 41.
Amittunt Patriam potestatem in Filios. p. 11. n. 42.
Et Jus in Vassallos. ibid. n. 43.
Ipso Jure amittunt jus fidelitatis, & Homagii &c. ibid. n. 44.
Clerici, nisi abjurent, degradandi &c. ibid. n. 45.
Laici, Curiæ sæculari tradendi, ut puniantur. ibidem.
Pœna mortis plectuntur. ibid. n. 46.
Dummodo incontinenti, sponte, & publice, non abjuret, & condigne satisfaciat. ibid. n. 47.
Regulariter in perpetuum carcerem detruduntur. ibid. n. 48.
Privantur Beneficiis Ecclesiasticis. p. 8. n. 21.
Majorem excommunicationem incurrunt, p. 7. n. 14. & 15.
Subeunt Confiscationem Bonorum, etiamsi habeant Filios Catholicos. p. 9. n. 30.
Sed post sententiam ibid. n. 31.
Abjurantes, Bona non recuperant, nisi ex misericordia. ibid. n. 32.
Hæreticorum Filii ipso jure privantur Beneficiis. ibid. n. 35. & 36.
Uxores an dotem amittant? p. 10. n. 37.
Hæretici evadunt infames. ibid. n. 38.
Sepultura Ecclesiastica privantur. ibi. n. 39.

Homicidium.

Quid sit? p. 51. n. 1, ut puniatur? n. 2.
Simplex, vel qualificatum. n. 3.
Simplex est vel casuale, vel necessarium, vel culposum, vel rixosum, vel dolosum, vel voluntarium, vel præmeditatum. ibid. a n. 4. ad 22.
Commissum per mandatum sine mercede. p. 63. a n. 102. ad 108.

I

Incestus.

QUid sit? p. 113. n. 1.
Inter ascendentes, & descendentes qui plectatur. p. 114. n. 2.
Simplex quomodo punitur. ibid. n. 3.
Et in marito cognoscente consanguineam conjugis, vel e contra. ibid. n. 4. & 5.
Limitatur. ibid. a n. 6. ad 10.

Incendiarii.

Qui? p. 93. n. 41. eorum pœnæ jure civili. p. 94. a n. 42. ad 48. jure Canonico. p. 95. a n. 49. ad 54.

In-

Infanticidium.

Quid. p. 55. n. 35. plectitur ut parricidium. ibidem.
Mater filium exponens, an sit Infanticida? ibid. a n. 36. ad 48.

Injuriarum Crimen.

Injuriæ quid? p. 97. n. 1. in personas. ibid. a n. 2. ad 6. in res ibid. a n. 7. & 8. in fama; & inferuntur verbis, vel scriptis. ibid. n. 9. 10. 11.
Pœnæ. ibid. n 12. & seqq.
In injurias datur duplex actio, Civilis, & Criminalis. ibid. a n. 13. ad 16.

Juramentum falsum.

Vide Perjurium.

L

Læsa Majestas.

QUid sit læsæ Majestatis Crimen? p. 39. n. 2.
Videlicet conspiratio in Papam, in Cardinales, in Legatos a latere, Urbis in Vicarium, in Episcopos. in Principes sæculares supremos & inferiores, est Crimen læsæ majestatis. ibid. a n. 3. ad decimum.
Committitur vel per conspirationem, vel per conjurationem. ibid. n. 11.
Per perduellionem. ibid. n. 12. & 17.
Per rebellionem. p. 40. n. 13.
Per seditionem. ibid. n. 14. & 15.
Usurpando Principis jurisdictionem. ibid. num. 16.
Carceres publicos frangendo. ibid. n. 18. 19. & 20.
Principis statuas insultando. ibid. n. 21.
Monetam cudendo. p. 41. n. 22.
Committitur hoc crimen a subditis in Principem originis, vel domicilii, & ab omnibus in Papam. ibid. n. 23. 24. & 25.
Feudatarius non committit, si illud a quo habuit feudum, offendit. ibid. n. 26. & 27.
Quid de Clericis sæculares Principes offendentibus. ibid. n. 27. & 28.
Hujus criminis pœnæ sunt, mors, confiscatio, infamitas, domus destructio, filiorum exhæredatio. ibid. n. 29. ad 36.
Quilibet Fiscus in reum potest procedere. p. 42. n. 38. etiam summarie. n. 39.
Sententia potest exequi in rei statuam, vel memoriam; si fugitivus, vel mortuus sit. n. 40. & 41.
Clerici Rei possunt etiam vigilari. p. 43. n. 42. & 43.
Quid de occidente Episcopum? ibid. p. 44. n. 44. & seqq.
Puniuntur scientes & non revelantes. n. 49. & 50.
Qui proprie non teneantur revelare? ibid. a n. 51. ad 55.

Latrones publici.

Furca suspendendi. p. 79. n. 23. eorum genera; & quomodo puniendi. ibidem. a n. 24. ad 32.

Lenocinium.

Quid sit. p. 120. n. 12.

Lenones.

Sæviter puniendi. p. 120. n. 13.

Libellus famosus.

Quid sit? p. 98. n. 17.
Varia requiruntur ad libellum famosum. n. 18.
Auctoris occultatio. ibid. n. 19.
Expressio nominis illius contra quem scribitur. ibid. n. 20.
Publicatio per affixionem. aut aliter. ibid. n. 21.
Dolus malus. ibid. n. 22.
Pœna hujus criminis. ibid. a n. 24. ad 32.

Literæ Apostolicæ.

Qumodo falsificentur? Vide Falsificatio. Falsarium. Falsum.

Lucrum Cessans.

Excusat ab Usura. p. 109. & 110. a n. 33. ad 37.

Ludus.

Non omnes ludi prohibiti. p. 111. n. 1.
Qui prohibiti. n. 3. qui non. n. 2.
Quæ pæna prohibitorum causa infligitur. n. 4.

M

Mensura, & Ponderæ.

QUis mensurarum, & Ponderum inventor? p. 49. n. 10.
Quomodo facienda. p. 50. n. 11. & 12.
Qui constet de alteratione mensuræ ibid. n. 13. & 14.

Monetarii.

Monetæ falsificatores rei sunt criminis falsi. p. 68. n. 43.
Septem modis hoc crimen committitur. ibid. & seqq.

Mo-

Monopolium.
Quid sit p. 48. n. 2.
Quomodo committatur. ib. a n. 3. ad 7.
Quomodo plectantur Monopolæ. p. 49. num. 8.

O

Osculum.
Quando puniendum. p. 120. nu. 11.

P

Pœnæ Hæreticorum.
Vide, Excommunicatio. Beneficia Ecclesiastica. Confiscatio Bonorum.

Parricidium.
Quomodo committitur? p. 54. n. 25.
Committitur, etiam si Pater, vel filius sit naturalis tantum. ibid. n. 26.
Committitur inter ascendentes, & descendentes. ibid. n. 27.
Parricidii pœna. ibid. n. 28. & 29.
Pater impune filium in adulterio cum noverca inventum occidit. ibid. nu. 30. non alias. p. 55. n. 31.
Quid de conjugibus se interficientibus. ibid. n. 32. 33. & 34.

Peculatus.
Peculatus Crimen unde nomen habet? p. 46. n. 1. Quomodo committitur? ibid. num. 2.
Committitur ab Officiali pecuniam distrahente. ibid. n. 3. apud se retinente. ibid. n. 4.
Si minus, quam receperit, in tabulis scripserit. p. 47. n. 5.
Quomodo punitur Jure publico? ibid. n. 6. Quomodo jure Canonum. ibid. num. 7.
Quid dicendum de ministris montis Pietatis, &c. ibid. n. 8. 11.
Quid de Colono animalia clam sociorum vendenti? ibid. n. 12. & 13.

Periculum.
Amittendi sortem excusat ab usura. p. 110. a n. 38. ad 41. Vide Usura.

Perjurium.
Est Blasphemia non hæreticalis. p. 102. num. 8.

Plagiarii.
Principes, pigmæos & similia sibi invicem donantes, num sint plagiarii? p. 77. n. 15.

Plagium.
Quid? p. 75. n. 1. Coercetur a L. Fabia, Flavia, vel Favia. p. 76. n. 7. Quomodo committitur? ibid. a n. 4. ad 9. Pœnæ. ibid. a n. 11. ad 15.

Poligamus.
Plectendus. p. 120. n. 10.

R

Rapina.
Quid? p. 89. a n. 1. ad 5. In quo differat a furto? ibid. n. 6. Pœnæ de Jure civili. p. 90. a n. 13. ad 19. de Jure Canonico. p. 91. a n. 20. ad 40. Inter alias Excommunicatio in Bulla Cœnæ. p. 92. a n. 34. ad 40.

Raptus.
Quid? p. 118. n. 1.
Conditiones ad Raptus crimen perpetrandum sunt violentia. ibid. nu. 1. usque ad 5.
Traductio raptæ de loco ad locum. ibid. n. 6. & 7. Libidinis causa ibid. n. 8. 9. 10. 11. & quod rapta sit honesta. p. 119. n. 12. & seqq.
Pœnæ raptus. p. 119. n. 17. & 18. & p. 120.

Relapsi.
In Hæresim relapsi audiendi non sunt. p. 11. n. 45.
Etiamsi Hæresis non fuerit plene probata p. 12. n. 49. & 50.
Qui sint relapsi? ibid. n. 51.
Qui in unum ex abjuratis erroribus relabunt, dicuntur etiam relapsi. ibidem.

Repetundarum Crimen.
Quid sit? p. 45. n. 1. & 2.
Fit recipiendo pecuniam, vel extorquendo. n. 3.
Qui hoc committant. a n. 4. ad 9.
Quomodo committatur. p. 46. a n. 10. ad 15.

S

Sacrilegium.
Quid? p. 104. num. 1.
Aliud personale, aliud locale, aliud reale. ibid. n. 2.
Reale, quum tollitur sacrum de sacro, ibid. n. 4. sacrum de non sacro. n. 5. & non sacrum de sacro. n. 6. & p. 105. n. 7.
Pœna ad arbitrium Judicis n. 8. & quare. num. 9.

Sacrilegium Carnale.
Quid? p. 116. num. 1. Qui Crimen hoc committant? ibid. nu. 2. Qui puniantur. n. 3. 4. & 5.

Schisma.
Græce significat scissuram. p. 13. n. 1.
Quid sit. ibid. n. 1. 2. 3. 4. & 5.

Schismatici.
Schismatico-Hæretici diversi a solis Schismaticis. ibid. 6. & p. 14. n. 7.
Quilibet Schismaticus est de Hæresi suspectus. ibidem n. 8.
Puniuntur Pœna Excommunicationis latæ sententiæ. ibidem n. 9.
Inhabilitate ad Beneficia, & dignitates Ecclesiasticas. ibid. n. 10. & 11.
Pœnisque corporalibus, & aliquando etiam pœna mortis. ibid. n. 12.
Eorum ordinationes, & Beneficiorum collationes irrita. ibid. n. 13.
Alienationes rerum Ecclesiasticarum invalidæ. ibidem n. 14.
Potestatem Sacramentalem numquam amittunt. ibidem n. 16. sunt tamen suspensi. ibid.
Potestatem vero Jurisdictionalem amittunt. p. 15. n. 17. cum pluribus seqq.
A Schismaticis ordinati possunt ab Officio removeri, si a S. Pontifice non dispensentur. ibidem n. 23. & 24.

Schismaticus.
Non potest ullo modo salvus fieri. p. 6. n. 12. & 13.

Sicarii.
Sicarii qui? p. 51. n. 2.

Simonia.
Descendit a Simone mago. p. 19. n. 1.
An Balaam & Giezi fuerint simoniaci? ibid. n. 2.
Quomodo definitur? pag. 20. n. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9.
Duplex est Simonia; una prohibita, quia mala; altera mala, quia prohibita. pag. 21. n. 10. & 11.
Omnis Simonia repugnat Juri divino, & naturali. ibid. n. 12.
Item, alia est mentalis, alia conventionalis, alia realis. ibid. n. 13.
An Simoniacus mentalis teneatur ad restitutionem rei cum intentione Simoniaca acceptæ? ibid. nu. 14. 15. 16. & pag. 22. num. 17.
Conventionalis Simonia quid? ib. n. 18.
Quid realis. ibid. n. 19.
De Simonia circa res intrinsece spirituales varia differuntur. ibid. n. 20. & pag. 23. n. 21. & 22.
De Simonia circa Sacros Ordines varia, ibid. a n. 23. ad 26.
Circa divina Officia, & Prædicationem. pag. 24. a n. 27. ad 30.
Quæ sit simonia pro suscipiendo habitu regulari? ibid. n. 31. ad 36. Qua pœna plectatur. p. 25. a n. 37. ad 39.
Quomodo committatur Simonia circa Ecclesiastica Beneficia? a p. 25. ad 32.
Talis simonia est prohibita jure divino. p. 26. a n. 42. ad 56.
Committitur autem, si aliquid temporale exigatur pro eorum collatione, inductione, vel immissione p. 27. n. 57.
Si exigatur homagium. ib. n. 58. quod distinguitur a fidelitate. p. 28. n. 59. & seq.
Si bona sua quis donet cum pacto, ut fiat Canonicus. p. 29. n. 68. secus si sine pacto. ibidem & n. seqq.
An liceat quid dare pro se eximendo a vexatione? p. 30. n. 76. & 77.
An simoniace acta sint nulla ipso jure? ibidem & seq. a n. 78. ad 82.
Quid sit simonia confidentialis. p. 31. n. 83. & 84. n. 85. & 86.
Quomodo plectatur hac simonia infecti. ibid. a n. 87. ad 91.
Quid requiratur ad pretium simoniacum. pag. 32.
Quilibet simoniacum accusare potest. p. 34. n. 109. etiam monachus Abbatem. n. 110. & seqq.
Simonia mentalis non punitur. p. 35. num. 123.
Quomodo puniatur simonia conventionalis? ibid. n. 124. Quomodo realis? ibidem n. 125. & seqq. & p. 37.

Sodomia.
A quo nomen habeat? p. 117. n. 1.
Committitur inter marem, & marem. ibid. n. 2. inter fœminam, & fœminam. num. 3. inter marem, & fœminam præpostere, etiamsi sint conjuges. num. 4. & 5.
Mors est pœna sodomiæ. nu. 6. Item excommunicatio major. n. 7. & infamia. num. 8.

Limita, num. 10. & 11.

Sortilegium.

Quid? p.103. n.1.
Aliud divinativum, aliud amatorium, aliud veneficum. ib. a n.2. ad 5.
Sortilegia alia cum hæresi conjuncta, alia non. ibid. n.6.
Prima sunt; quum cum dæmone pactum initur. n.7. quum colitur, n.8. quum sacramenta, & similia adhibentur. nu.9. quum baptizantur imagines. n. 10.
Et hujus generis sunt sortilegia illius, qui hujusmodi artem profitentur, ibid. nu.11.
Sortilegia secundi generis varia complectuntur. ibid. n.12. & p.104. n.13.
Sortilegorum primi, & secundi generis pœnæ, utroque Jure, ibid. a n. 14. ad 18.

Stuprata.

Mulier stuprata quando sit dotanda? p.116. & 117. n.5.6. & 7.

Stuprum.

Quid? p.116. tit.11. n.1. Qui plectatur vi stuprans? ibid. n. 2. qui stuprans sine vi? n.3. qui Clericus, vel conjugatus? num.4.

Suspecti.

De Hæresi suspecti, nisi se purgent, eadem, ac Hæretici pœna plectendi. p.11. n.46.

T

Testes.

TEstes alias inhabiles, admittuntur ad Hæresim probandam. p. 12. n.53. & seqq.
At non ad damnandum Reum sufficiunt. ibid.

Tutor.

Cojens cum pupilla quomodo punitur. p. 119. n.4.

V

Vassalli.

VAssalli Hæreticorum liberantur ab omni obligatione. p.11. n.43.

Violatores Ecclesiarum.

Qui, & ut puniendi? p.115. n.55. & 56.

Violentia.

Alia compulsiva. p.90. nu. 8. alia expulsiva. n.9. alia turbativa. n.10. alia inquietativa. n. 11. alia ablativa. num. 17.

Vis privata.

Quid? p.73. num. 7. Quadruplici modo committitur. ibid. n.8.9.10. & 11. Pœnæ. ibid. n.12.

Vis publica.

Quid? p. 73. n.2. & 3.
Triplici modo committitur. ibid. n. 4. 5. & 6.
Pœnæ. ibidem num. 12.

Usura.

Quid? p.107. n.1.2. & 3.
Mentalis, & realis. p. 128. n.4.
Propria, & impropria, sive palliata. ibidem num.5.
Palliata committitur, quando aliquid venit majori pretio causa dilationis ad solvendum. ibidem num.7.
Secundo, quando quid venit minori pretio, causa anticipationis in solutione, ibidem num. 8.
Tertio, in contractu pignoris, vel hypothecæ variis modis committitur. ibidem a num. 9. ad 22.
Quarto in aliis contractibus. ibidem num. 23.
Causæ excusantes ab usura sunt. 1. damnum emergens. ibid. a n.24. ad 28.
Conditiones quæ ad hoc requiruntur, ibidem a n.29. ad 32.
2. Lucrum cessans. ibidem n.33. Conditiones. p.110. n. 34. ad 37.
3. Periculum amittendi sortem. ibid. a n. 38. ad 41.
Pœnæ. ibid. a n. 41. ad 48.

Uxores Hæreticorum.

Si scienter Hæretico nubant, amittunt dotem. p.10. num.37.
Secus si inscienter. ibid.